

756915

Aug 30 2





52



Ex Libris Fratris Hugobini
Nemethy

Weyward

~~Ex Libris Fr.~~

Probatio

Handwritten flourish

Handwritten flourish

Handwritten flourish

Капитановъ?

PHILOSOPHIA
M O R U M

IN USUM

UNIVERSITATIS, ET ACADEMIARUM


PER

REGNUM UNGARIÆ,

ET

PROVINCIAS EIDEM ADNEXAS.

post Rberhard



B U D Æ,
IMPENSIS AC SUMTIBUS REGIÆ
UNIVERSITATIS.

1 7 9 6.

rumdem simus, benefactores aliorum reddamur, & nobilibus societatis oblectationibus frui possimus.


§. 182.

Honor.

Cum ad bona externa non solum *bonum nomen*, sed etiam *honor* pertineat, obligamur ad ejusdem amorem, seu ad habitum æstimationem adpetendi, & *contemptum* internum, ac externum, seu judicium de gravioribus nostris imperfectionibus averfandi. Moderatio in ambiendo honore *modestia*, immoderata vero *ambitio* est, & in *vanitatem* abit, si vani honoris, aut laudis adpetitio, tametsi dissimulata, fuerit. Habitus impensas in res externas, honori nostro consentaneas, faciendi, est decens *impendium*, quod apud eos, qui in altiore honoris gradu consistunt, *magnificentia* nuncupatur. Modestum ergo impendium, & pompa licita sunt. Qui honorem inde captat, quod ab aliis externe contemnatur, *homo ferus* audit.

1) Æstimatio nonnisi proborum est expetenda. Honor proinde supponit veri boni notionem, & subordinatum duntaxat potest esse actionum nostrarum incitamentum. Hinc possunt adjuncta occurrere, ubi homo virtute præditus honorem adpetere non debeat, adpareatque esse cyricus. „Omitto nobilitatem, famamque popularem stultorum, improborumque consensu excitatam „. Cic. Qu. Tusc.

2) Lautitia habitationum, vestimentorum, animi relaxationum, & alimentorum comparate ad facultates, si easdem superet, pertinebit ad



- dissipationem: relate ad statum excessus ejusdem venit in censum impendii ad ambitionem, & vanitatem: excessus idem comparate ad sensuales voluptates est immoderantia, mollities, verbo luxuries: lautitia ad animæ facultates excolendas relata elegantiam iisdem conciliat.
- 3) Vocabulum *luxus* sinistro suo significatu vitia hæc omnia comprehendit: quanquam serior usus amplio rem ei sensum dederit, ad omne scilicet illud denotandum, quod moderationi opponitur.
 - 4) Sensu autem bono vox hæc complectitur expensas omnes ad vitæ commoditatem, atque suavitatem conversas, quæ sunt incitamenta ad laborem, ad varia inventa, ad evolvendum & exercendum intellectum, ad socialitatem: augment præterea voluptates, & si statui nostro sint commensurata, sunt signa ejusdem, ad quas proinde faciendas obligamur. Debet autem *luxus* etiam officiis amoris erga proximum subordinari, quo imprimis pertinet, ut patriæ nostræ utilis sit.
 - 5) Unde neque fundata, neque innoxia est eorum postulatio, qui volunt, ut superflua nostra in alios citra laborem ullum conferamus, cum labor operanti suapte natura necessarius sit (180.)



—●—

S E C T I O III.

De officiis erga alios.

C A P U T I.

De amore proximi.

§. 183.

Officia erga alios illa sunt, quorum motiva fundantur in perfectione, seu realitate in aliis procuranda. Quodsi obligamur ad perfectionem quamlibet promovendam, capiendamque ex illa delectationem, certe obligamur etiam ad proximi *charitatem*, & *beneficentiam*, cujus gradus altior est *magnanimitas*. Servanda tamen isthic est quædam mensura. Debet scilicet amor commensurari 1) gradui ejus, quem diligimus, perfectionis, 2) notitiæ, 3) emolumento nostro proprio, 4) ejusdem indigentis: cavendum nihilominus, ne nimio commodi nostri, vel partium studio ducamur, neve nostra erga alios inclinatio in illicitis fundetur tantum adparentibus.

- 1) Hinc obstringimur ad gratitudinem, & amorem erga nostros benefactores. Si beneficia recte collocanda sint, necesse est, ut primum sint vera beneficia: deinde ne percipientem pudefaciant. Unde ea, quibus subsidia præbentur, clam haberi, quæ autem remunerationis rationem habent, propalari debent.
- 2) Teste experientia, amor stimulis sensilibus incitatus plerumque vehementior est rationali, cum vis movendi apud plerosque homines ma-

gis




gis pendeat ab incitamentorum vividitate, quam eorundem momento, magnitudine, & veritate.

§. 184.

Ejusdem declaratio.

Non minus obligamur ad expressam, vel tacitam amoris nostri declarationem, cujus habitus est *humanitas*, quæ cum sincera est, *benignitas*; cum signis idoneis declaratur, *comitas* adpellatur. Unde cavendum, ne frigidi erga alios, & indifferentes videamur esse. *Communis amicitia* omnes ex æquo complectitur: *misanthropia* est vitium omnes universe odio habendi, aut eorum errata acerbius carpenti. Satus *mutuæ internæ inimicitia* apud illos obtinet, qui se oderunt. Tametli in potestate nostra non sit nullos habere inimicos, est tamen illud, ne cuiquam simus ipsi inimici, imo haud pauca suppetunt inimicum diligendi invitamenta, quo & illud pertinet, nocere eundem nobis minime posse.

- 1) Amicitia reapse species quædam est amoris rationalis, estque sita in voluptate, quam ex animi persecutionibus capimus, & inclinatione easdem provehendi. Peculiaris amicitia majorem amoris erga unam, aut plures personas gradum exigit: quæ si durabilis esse debeat, fundari non debet in proprio commodo, nec unice influxa quapiam qualitate.
- 2) Ceterum personæ cujusdam dotes non semper conciliant amicitiam, cum ejus vinculum alia adjuncta, e. g. nimium conditionum discrimen, zelotypia &c. impedire possint. Depositit equidem amicitia certam quamdam conditionum, non tamen nimiam in modo vivendi,



AD LECTOREM.

In concinnando hoc opusculo fere vestigia
Joannis Augusti Eberhardi doctissimi apud
Hallenses Professoris pressimus, libellumque
ejusdem *) pene totum latinitate donavimus,
sic tamen, ut quædam amputaremus, quæ
videbantur minus necessaria: quædam, in par-
te

*) Sittenlehre der Vernunft zum Gebrauch seiner
Vorlesungen verbesserte Auflage.

te potissimum practica, adjiceremus, atque
ita viri celeberrimi laborem in usus interea
nostros traduceremus. Siquis perfectius ali-
quid, nostroque instituto adcommodatius emit-
tere in lucem voluerit, ambabus, ut ajunt,
ulnis amplectemur.

SYNOPSIS.

P A R S I.

THEORETICA.

SECTIONO I.

*De generalibus moralitatis actionum liberarum
Principiis* 1

SECTIONO II.

De actionum liberarum Moralitate..... 13

SECTIONO III.

De obligatione 21

SECTIONO IV.

*De Religionis ad naturalem obligationem Rela-
tione*..... 27

SECTIONO V.

De Sensu Morali 30

SECTIONO VI.

De Legibus moralibus..... 35

SECTIO VII.

De Imputatione, & Conscientia 47

SECTIO VIII.

De Officiis 48

SECTIO IX.

De Virtute 57

SECTIO X.

De Peccato 60

SECTIO XI.

De externis moralibus statibus 66

SECTIO XII.

Historia moralium Disciplinarum 74

PARS II.

PRACTICA,

SECTIO I.

De officiis erga Deum, seu Officiis Religionis . . 83

SECTIO II.

De officiis erga seipsum 111

SECTIO III.

De officiis erga alios 135



P A R S I.
T H E O R E T I C A.



S E C T I O P R I M A

De generalibus moralitatis actionum liberarum
principiis.

§. 1.

Notio Philosophiæ Moralis.

Si ars quædam hominibus suppetit propositam sibi beatitatem consequendi, necesse utique est dari etiam regulas quasdam ad artis hujus exequutionem facientes, quarum scientia latiore significato *disciplinæ morales*, aut *practica*, vel *morum Philosophia* vulgo nuncupatur.

- 1) Hanc nempe sibi formaverunt moralium disciplinarum notionem Græci Philosophi, statuentes artem quamlibet egere regulis, sive deinde ad opus quodpiam efformandum; sive generatim ad scopum aliquem propositum consequen-

quendum. Porro facultatem utendi regulis primi generis *artem* sensu proprio; eam vero, quæ, in usu regularum generis posterioris versaretur, vocabant *prudentiam* seu *φρονησιμ*, omnis autem eorum Philosophia ad procurandam homini beatitatem referebatur.

- 2) Atque ita artes omnes erant Philosophiæ subordinatæ, quemadmodum in domo extruenda officia operarum omnium ad artem ipsius architecti referuntur, non solum quod Philosophia principes artium omnium notiones in se complecteretur, sed quod ipsam etiam iisdem ad consequendam felicitatem, utendi rationem in se contineret.
- 3) Si ergo e naturali Theologia interea sumamus gloriæ divinæ manifestationem, seu religionem esse ultimum creationis finem, qui absque creaturarum rationalium beatitate obtineri haud potest, palam est actiones bonas liberas esse media tam ad Dei glorificationem, quam ad creaturæ rationalis felicitatem.

§. 2.

Media consequendæ beatitatis.

Subsidia, quibus pervenitur ad beatitatem, sunt liberæ hominum actiones, ad quas scilicet sese voluntate libera determinare in hominis est potestate. *Bona* vero erit actio, si promoveat agentis felicitatem; *mala*, si eidem sit impedimento.

§. 3.

Definitio beatitatis.

Nomine autem *felicitatis*, seu *beatitudinis* venit status ille, in quo quis sincera voluptate citra
inter-

intermissionem perfruitur. Sincera porro, seu *vera* voluptas e sensu veræ, *opinata* contra ex adprehensione adparentis perfectionis oritur, cuius proinde radix sita est in errore illo, qui iudicando committitur, nec tamen, quamdiu voluptas durat, animadvertitur.

- 1) Vera nimirum erit voluptas, si non præbeat fundamentum tædio, sive deinde voluptatem aliam secum pugnantem impediendo: sive verum tædium, et molestiam post se trahendo. Pugnat autem sensualis voluptas cum alia interdum sensuali, nonnunquam cum intellectualli voluptate.
- 2) Hæc, quam adtulimus, beatitudinis definitio facile conciliatur cum illa paulo magis artificiosa, quæ sub hoc vocabulo bona physica, et moralia comprehendit.
- 3) Aristoteles felicitatem vocat *εὐεργειαν ψυχῆς ἐν βίῳ τελείῳ* Eth. L. I. c. 7. Nos interim superioris tam beatitudinis, quam veræ voluptatis retinebimus, quibus major in sequentibus affundetur claritas, & evidentia.

§. 4.

Indicium veræ voluptatis.

Veram, atque durabilem esse voluptatem quampiam inde concludi certe non potest, quod voluptas sit, cum dentur voluptates etiam opinatæ, item fluxæ, ac transeuntes: quare cum hoc ipsum ope duntaxat sensus definiri haud possit, ad tribunal intellectus pertinet quæstionem dirimere.

Vocabulum *sensus*, *sensatio*, *αισθησις* ita isthic sumitur, vt omnes inferiores animæ facultates, quæque in iisdem contingunt mutationes complectatur.



Ceterum potest se quisque in vocis hujus usu veterum, et quorundam hodiernorum Philosophorum loquendi consuetudini, si velit, adcommodare.

§. 5.

Voluptas immediata, & mediata.

Voluptas, quæ de proximis, atque sufficientibus illicitis nascitur, *immediata*; cujus autem fontes sunt remotiores, *mediata* dicitur. Fontes autem hi sunt ipsa perfectionis, quæ ut talis reapse sentitur, proxima, vel remota fundamenta.

§. 6.

Intensio, & dignitas voluptatis.

Voluptas, quæ extensive valde magna est, potest intensive admodum parva esse, et vicissim. Si ergo altiorem vivacitatis, qua voluptas animum adficit, gradum intensivam ejusdem magnitudinem; multitudinem vero perfectionum in eadem relucen-
tium extensivam vocemus, ipsa vero perfectionum illarum magnitudo gradum dignitatis definiat, luculentum est, vehementem voluptatem posse homine indignam esse, et contra.

Cum sensationes, ceteris paribus, vivaciores, et vehementiores progignant representationes, nemo non videt voluptates immediatas vividiores esse mediatis. Quia tamen mediatae possunt digniores esse, quarum illicita utpote nondum presentia persentiri haud possunt, in aperto est, sola sensatione discerni non posse, quænam voluptas dignior, vera, & ad partem felicitatis pertinens habenda sit. Unde suapte consequitur 1) vehementiam voluptatis, aut tædii tam parum posse esse securum indicium, sit ne actio quæpiam bona vel mala, quam
parum

—○—

5

parum ipsam voluptatem, vel tædium ab actione illa in nobis excitatum (2. 3. animad. 1.) 2) Voluptatem immediatam non posse esse finem ultimum bonarum nostrarum, atque liberarum actionum.

- 1) Nihil mirum est, si homo incultus, naturæque suæ parum peritus voluptatem immediatam pro fonte, & principio cognoscendi moralitatem actionis habeat, ut qui remotiora ejusdem consecutaria neque usu ipso, neque rationis ope unquam perspexerit. Satis certe elucet vel ex Aristippi, Epicuri, & Eudoxi systemate modus, quo sensibus unice ducti, atque inculti homines de moralitate arbitrantur (2). Hoc ipsum magis adparebit in sequentibus, cum ostensum fuerit, dari molestas, atque inamœnas actiones, quæ remota consecutaria bona habeant, et eas ipsas, quæ initio minus arriserunt, usu, & tempore faciles, ac amœnas sed di.

§. 7.

Genera Voluptatum.

Cum hominis beatitas consistat in statu veræ, atque durabilis voluptatis, complectitur utique summam optimarum voluptatum maximam. Teste porro experientia, varia sunt voluptatum genera, pro fontium scilicet, unde promanant, varietate, uti 1) Voluptas e sensibus, 2) E phantasia, 3) Ex intellectu, 4) Ex corde: quarum alternatio quædam, & convenientia pertinet ad felicitatem.

- 2) Cum igitur extensivam voluptatis magnitudinem, atque dignitatem nequeamus ope sensuum dijudicare (6), debemus illam in ipsis ejusdem fontibus prævie investigare, quos optime



detegemus, si diversas voluptates inter se contendamus, inque communes earundem origines inquiramus, quod jam exequemur.

§. 8.

Voluptas sensualis.

Voluptas sensualis oritur e percepta corporis perfectione: hæc autem perſentiscitur 1) in convenienti, et moderata corporis totius commotione, quæ, dum non delassat, suaviter nos adficit: post delassationem succedit peramœna quies. In hoc autem genere maxima redundat voluptatum summa e motus, & quietis alternatione. 2) In convenienti membrorum singulorum commotione sensum excitante, unde existunt grati colores, toni, susurri &c.

Voluptatibus sensualibus accensendæ sunt non amœnæ solum, quæ in corpore excitantur sensiones, sed ipsa etiam inamœnarum absentia. Genus autem hoc utrumque alitur novitate, debilitatur assuetudine. Quare continentia auget suaviores, minuit tædiosas impressiones, ac proinde cumulat voluptatem sensualem.

§. 9.

Voluptas boni gustus, & phantasiæ.

Voluptas, quæ ad bonum, ut jam vocant, gustum, & phantasiam refertur, consurgit partim e sensu continuitatis, ordinis, uniformitatis, eumetriæ, pulchritudinis, & membrorum ad conciliandam in motu illecebram aptorum: partim e virium ipsarum extensione, atque magnitudine. Priora suppeditant fontes sensuonis *pulchri* latius accepti: posteriora, si paulo vehementius in animum agant, sensum *sublimis* excitant. Genus autem utrumque per-

percipitur quidem etiam in externis sensuum objectis, differt nihilominus ab horum objectorum sensuum instrumenta pervellentium impressionibus.

§. 10.

Voluptas intellectus.

Oritur hæc ex operationibus animæ cogitantis. Radicem habet non in magnitudine solum, gravitate, et cohærentia objecti, ejusdemque partium, sed in ipso etiam facultatis nostræ circa illud ipsum exercitio. Satis enim constat semper majori nos perfundi voluptate, si recogitemus difficultates, quas habuimus superandas, & si conscientia nobis adtestetur, nos solos, citra alienum adjumentum, longam veritatum seriem perscrutatos fuisse, aut plane detexisse.

- 1) Huc pertinet ingenua illa voluptas, quæ a veritatis cognitione, aut inventione, quæ item a designatione, et executione arduæ cujusdam molitionis redundat. Sapienter Cicero: „Imprimis, inquit, hominis est propria veri inquisitio, et investigatio. Itaque quum sumus necessariis negotiis, curisque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiscere, cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium ad beate vivendum necessariam dicimus,“. De Off. L. 4.
- 2) Imo vel ipsa veritatis scrutatio suavissimam adfert voluptatem, cum conatus ipse vires facultatis nostræ velut in speculo nobis repræsentet. „Alterius (Archimedis nempe) mens rationibus agitandis, exquirendisque alebatur, cum oblectatione solertiæ, qui est unus suavissimus pastus animorum,“. Id. Qu. Tusc. v. 23.

Voluptas cordis.

Voluptas ista dimanat e conscientia propriæ acquiescentiæ, honoris, admirationis, amoris, et compassionis. Sensio horum non aliud est, quam repræsentatio moralis perfectionis vel suæ, vel alienæ, id quod proprie sensus morales adpellamus, cujus ramus præcipuus est *sympathia*, seu vivida repræsentatio boni, vel adversitatis alienæ, cujus expromendæ promptitudo, seu habitus *sensibilitas* dicitur. Voluptatem, quæ sensationem hanc comitari solet, possumus vocare *adsociatam*.

- 1) Moralis itaque sympathia est delectatio, aut molestia, cujus radix objectiva sita est in aliena perfectione, vel imperfectione. Genus ejusdem postremum est compassio, quæ perfectioni nostræ occasionem præbere potest: unde opportunitatem ejusdem sentiendæ avide confectamur. „Verum ergo illud est, ait Tullius, „ quod a Tarentino Archyta, ut opinor, dici solitum, nostros senes commemorare auctivi ab aliis senibus auditum: siquis in cœlum ascendisset, naturamque mundi, et pulchritudinem siderum conspexisset; insuavem illam admirationem illi fore, quæ jucundissima fuisset, si aliquem, cui narraret, habuisset. Sic natura solitarium non amat, semperque ad aliquod tamquam adminicum adnititur, quod in amicissimo etiam dulcissimum,„ De Amic. c. 28.
- 2) Theoria amœniorum sensationum ad hanc, quam videmus, extensionem a Gallis quibusdam, & Anglis autoribus ope observationum fuit perducta,

ducta, quam Germani ad psychologica, et originaria principia mira sagacitate reducerunt.

§. 12.

Fontes generales voluptatum.

Circa voluptatum hætenus descriptarum genera tria potissimum veniunt observanda. 1) Præter sensuales dari voluptates etiam nobiliores. 2) Has in gradu æquali simul sentiri nequaquam posse. 3) Si reddere rationem debeas, quidnam te delectaverit, adhibita impressionum in suas partes resolutione facile erui generale illud, vividam scilicet representationem perfectionis in causa fuisse, sive deinde perfectio illa in temetipso tanquam subiecto, sive in alio tanquam objecto insit.

- 1) Cum ergo cognitio perfectionum fons, & scaturigo sit voluptatum, jam providemus voluptatem, cum primum perfectionis notitiam capimus. Debemus proinde perfectionem, cujus capaces sumus, sedulo, & adcurate, uti & illa, quæ eandem provehant, aut impediunt, perscrutari, ut scilicet voluptatem ipsam tanquam partem felicitatis prægustemus. In objecto externo spectamus perfectionem, tanquam medium propriæ nostræ perfectionis.
- 2) Quia vero hoc ipsum nonnisi facultate intelligendi, qua rerum pervidemus nexum, consequi possumus, in confesso est bonitatem, aut malitiam actionum nonnisi ab intellectu posse definiri.

§. 13.



Gradus voluptatis relate ad gradus perfectionis.

Quo plures partes elementares facta in animam impressio continet, eo plenior est voluptas inde redundans. Partium autem istarum, ac proinde ipsarum etiam voluptatum quatuor duntaxat possunt esse genera. 1) Gradus infimus est sensio physicae perfectionis. 2) Sensio ejus perfectionis, quam nos ipsi, tanquam causa libera, procuravimus. 3) Sensio ejus, quam in aliis propria nostra perfectione produximus. 4) Perfectionis alienae, cujus nos ipsi causa libera sumus.

- 1) Ex hac fontium voluptatis enumeratione satis adparet summum voluptatis gradum e beneficentiae exercitio percipi, in quo ceteri fontes omnes uniri possunt.
- 2) Jam olim agnovit Aristoteles Eth. 9. c. 7. rem unamquamque idcirco a nobis diligi, ut aliquam eidem perfectionem conciliemus.

Summum bonum.

Ut summi boni notio rite determinetur, praeculis habendum est discrimen, quod inter entis supremi, & spiritus finiti beatitudinem intercedit. Prior consistit in immutabili perfectionum possibilitate, et illimitatarum possessione: posterior sita est in persensione non impeditae progressionis ad majorem semper perfectionem. Primum, et sufficientem beatitudinis humanae fontem adpellabant veteres *summum bonum*.

§. 15.

Variae de summo bono opiniones.

Discrepantes veterum de summo bono opiniones non ante possumus conciliare, quam vocis ambiguitatem tollamus, quæ sensu maxime generali significat bonum entis rationalis universe, sive ipsam ejusdem perfectionem: sensu vero strictiore summum possibile bonum limitati spiritus, seu maximam, cujus idem capax est, perfectionem. Quia vero diversa perfectionum genera sæpe simul copulari non possunt, genus inter cetera eminens, & maximum significatu maxime proprio vocatur summum bonum.

- 1) Vocabulum istud Peripatetici utroque priore sensu, stoici contra ultimo solum usurpabant: hinc illi bona quoque externa in parte beatitudinis reponebant; hi in sola virtute illam constituebant, quod ipsum voluisse videtur Aristoteles ad priorem illam suam definitionem (3. anim. 3.) addendo voculam κατ' ἀρετην.
- 2) Bona externa idcirco postponuntur internis, quod illa remota duntaxat, & insufficientia; hæc vero proxima, & sufficientia felicitatis fundamenta sint. Quare in eo solum peccaverunt Stoici, quod repudiata communi loquendi consuetudine, non aliud in bonis censerent esse numerandum, quam quod immediatus, atque sufficiens fons esset beatitudinis. Ceterum litem de nomine tantum fere habebant: nam bona quoque externa ad partem felicitatis referri arbitrabantur, quæ idcirco προηγμενα, seu electione, & consecratione digna vocabant.
- 3) Tres ergo tantum possunt inter homines esse de summo bono opiniones, cum totidem sint spe-

species perfectionis, seu proximæ radices felicitatis. 1) Perfectio corporis, quod fuit summum Aristippi, et Epicuri bonum. 2) Animi, seu summum bonum scholæ Stoicæ. 3) Animi simul & corporis, summum scilicet bonum Academicorum, & Peripateticorum.

§. 16.

Indoles humanæ felicitatis ex ipsâ experientia.

Indolem humanæ felicitatis sitam esse in sensatione, & possessione progredientis perfectionis, tam animi, quam corporis ipsa docet experientia. Nam neque possessio immutabilis perfectionis cujuscumque sine conatu ulteriore, neque conatus sine perfectionis possessione potest componi cum beatitudine.

Conscensio montis cujusdam jucunda, descensus experientia teste permolestus est, nec erit difficile causam rei ex adlatis principiis eruere.

§. 17.

Judicia de perfectione e sensu.

Utrum perfectio quæpiam vera, atque genuina sit, definiri e sensatione, quemadmodum vidimus, minime potest: debet proinde hoc ipsum ex ipsa perfectionis notione decidi. Sensatio enim pendet ab ipsa sentientis constitutione, nimirum a capacitate, facultate intelligendi, & adpetendi, corporisque habitu: prout ista majora vel minora, potentiora vel ætiora sunt, ita voluptas e re quavis sentitur, aut tædium.

Populi quidam oblectantur inambulatione, saltu &c. non item alii, cum primis orientales.

§. 18.

§. 18.

Causa diversitatis.

Diversitas ista inde existit, quod homines, antequam facilitatem in expromendis viribus exercitatione ipsa consequantur, plerumque magis percelluntur conatus adhibendi difficultate, quam alliciantur facultatum suarum perfectione. Hinc autem facile conciliantur contradictiones, quas in variorum de virtute judiciis deprehendimus, dum eam hi difficilem, illi facilem, alii jucundam, alii molestam sibi effingunt, & insuavem. Eadem est de vita virtuosa opinionum differentia.

SECTIO SECUNDA.

De actionum liberarum Moralitate.

§. 19.

Notio moralitatis.

Notionem moralitatis ita hactenus enucleavimus, ut in aperto sit, actionem liberam esse bonam, siquidem perfectionem, malam, si imperfectionem contineat. Utrumque porro potest inesse vel in principiis, vel in partibus, vel denique in consecutariis actionum. Si actio moraliter bona sit, necesse est in singulis horum relucere perfectionem.

§. 20.

Reverentia actionum.

Perfectio illa, quam homo bonis, atque liberis suis actionibus consecratur, est accidentalis, sita in ea, quam cum suis essentialibus habet, confusio-



ensione: unde ipsa quoque actionum liberarum perfectio, seu bonitas in eo vertitur, ut consentiant cum essentiali hominis perfectione. Omnes itaque actiones liberæ characterem istum habentes sunt naturaliter rectæ, earumque moralis rectitudo consistit in hac consensione.

Generatim recta nuncupatur actio, cujus determinatio legibus conformis est, ex quo ipso superior illa actionum naturaliter rectarum definitio facile deducitur. Hanc actionum proprietatem Angli quidam *the moral fitness of the actions* vocant.

§. 21.

Principium cognoscendi essentialem hominis perfectionem.

Perfectio hominis essentialis postulat, ut vires ejusdem atque facultates omnes ad beatitudinem dirigantur. Hanc vero beatitudinis consequendam aptitudinem nequit humana imbecillitas e perceptionibus eruere, sed cognoscere debet experientia, quæ ostendat corporis humani vires, & instrumenta suapte natura sic esse comparata, ut conservandæ, atque propagandæ vitæ sint maxime idonea: præterea hominem naturali ad potentia ad bonum ferri: ope intelligentiæ eam mentis facultatem, ac promptitudinem consequi, quæ illum in bono deligendo manu quodam modo ducere possit.

§. 22.

Accidentalis hominis perfectio.

Accidentalis hominis perfectio provenit ex illo virium animi, & corporis usu, qui congruat essentiali ejusdem perfectioni. Quare cum vires hæ tam intensioris, quam etiam multiplicis abusus capaces sint,

sint, patet impediri perfectionem accidentalem, si aut vires hæc usu & exercitatione non excolantur, aut abusu in pravam degenerent promittitudinem, seu habitum.

Genus hoc perfectionis refertur ad fines a Deo præstitutos, & prout ex essentiali hominis perfectione cognosci potest, finis, seu destinatio hominis adpellatur.

§. 23.

Variæ bonarum, & malarum actionum definitiones.

Hiscæ evolutis parum interest, an dicam actionem liberam idcirco esse intrinsece bonam, quia me, statumque meum natura sua perfectiorem efficit: an quia ex eadem causa finali, unde actiones naturales, determinatur: an denique, quia consentit cum essentiali mea perfectione. Hæc eo solum differunt, quod nobis notionem boni clarius proponant, vel obscurius.

§. 24.

Interna, & externa actionum moralitas.

Perfectio, vel imperfectio actionis liberæ modo quodam propiore pendens a libera agentis voluntate est moralis ejusdem bonitas, aut malitia, quæ uno verbo *moralitas* actionis dicitur, quæ si suapte in agentis natura proxime, ac sufficienter fundetur, *interna*, & *objectiva*; sin autem fundetur in libera alterius agentis voluntate, *externa*, seu *subjectiva* audit. Cum ergo in actionum liberarum moralitate spectandus sit consensus ejusdem, vel dissensus cum essentia, attributis, & fine hominis, quibus nihil præterea tertium addi potest, quis non videt cuivis actioni liberæ internam competere morali-



ralitatem, nec ullam esse actionem penitus indifferentem.

Pendet adeo externa moralitas a voluntate legislatoris, nec tamen absque interna consistere potest: nemo enim potest habere jus actioni cuidam intrinsece malæ adtribuendi moralitatem intrinsecæ repugnantem.

§. 25.

Patroni solius externæ moralitatis.

Qui externam solum tuentur moralitatem, derivant illam vel e divina, vel ex imperantium voluntate: hinc posteriores nihil extra civilem societatem rectum, aut iniquum putant: priores agnoscunt illi quidem moralitatem etiam extra civile consortium, sed eam unice a voluntate Dei pendere arbitrantur.

Inter veteres solam externam defendebant moralitatem Archelaus, Democritus, Trasymachus, &c. inter recentiores Hobbesius, Mandevillius, Helvetius &c. Divinam tuetur Puffendorfius, Lockius, Thomasius &c. objectivam seu internam Plato, Aristoteles, Stoici, Cicero, Grotius, Volfius &c. Quidam, uti Comes Schaffesbury, externam penitus repudiant. Verum necesse omnino est ambas conciliari. Vid. Amytor in Addit. pag. 36.

§. 26.

Discussio primæ opinionis.

Si moralitas actionum unice pendeat a legislatoris civilis arbitrio, nullum erit Jus naturæ, pro quo tamen gravissima pugnant argumenta, secus enim 1) cognitio nostra moralis pluribus esset obnoxia defectibus. 2) Nullum inter gentes Jus, nullum dare-

daretur injuria. 3) Nullum statui publico suppeteret jus in exterum. 4) Defectus se proderet comparate ad illa officia, & motiva, de quibus respublica non providit, aut fortasse nec providere potuit. 5) Nullum denique esset discrimen inter salutaes, & malas leges.

§. 27.

Argumenta pro eadem.

Qui moralitatem internam inficiantur, experientia volunt pugnare. Nam si humanæ, inquit, actiones interna gauderent moralitate, non posset in moribus, & legibus populorum tantum inesse discrimen, nec tot sibi repugnantes sententiæ. 2) Neque morum præceptores, et legislatores tantopere diffiderent opinionibus, quid rectum, quid moribus contrarium sit. At quis non videt omne hoc discrimen, & contradictiones progigni e vario culturæ apud populos gradu, e varia item perspicua legislatorum, & cognitione moralium præceptorum.

§. 28.

Definitio ejusdem.

Ut omnis ambiguitas isthic submoveatur, observandum est in præsentia controversia depromi iudicium non posse, 1) nisi actio quæpiam fuerit sufficienter determinata. 2) Non defendi internam hanc moralitatem cuivis intellectui perinde perspicuam esse, sed quæri duntaxat, an quævis rite, ac perfectè determinata actio habeat aliquam ad hominis, rerumque ceterarum naturam proportionem, quam excultus, probeque exercitatus intellectus pervidere



possit (24). Hac una animadversione tolluntur pleræque controversiæ præsentis difficultates.

§. 29.

Momenta secundæ opinionis.

Quæstio altera, an scilicet omnis actionum moralitas ab una Dei voluntate pendeat, non perinde facilem habet enodationem: alteram enim secum trahit controversiam, utrum videlicet Dei voluntas ab ejusdem intellectu dependeat. Sed nec est tanti momenti ista disputatio, cum idem plane maneat officiorum vinculum, eadem gratitudinis obligatio, utcunque respondeatur. Graves tamen suppetunt rationes dicendi moralitatem internam ut pure possibilem pendere a Dei intellectu, ut vero actualem ab ejusdem voluntate.

§. 30.

Moralitatis internæ, & externæ defensores consentiunt 1) Deum esse autorem legum naturalium, in quantum entium realitates in ejusdem voluntate fundantur. 2) Hanc porro voluntatem ex ipsa rerum natura cognosci posse, ac proinde utrumque Ius naturæ ejusdem esse extensionis. Verum priores contendunt legum istarum principium non in voluntate, sed in intellectu divino relidere.

§. 31.

Momenta internæ moralitatis legum divinarum.

Primum argumentum pro interna hac moralitate ducitur ab ipsa Dei voluntate, quæ semper sequitur ejusdem intellectum. Cum enim Deus legem quampiam sancit, vult utique, ut certæ actionum
spe-

species ponantur, vel omittantur: atqui voluntas Dei est perfectissima; non ergo potest actionem liberam velle, aut nolle, nisi quatenus illa bona, vel mala est, seu quatenus vel perfectionem, vel imperfectionem continet. Hæc autem perfectio pendet a consensu actionis liberæ cum ceteris naturalibus hominis actionibus, quibuscum ad finem eundem dirigitur. Naturales porro hominis actiones per animæ, & corporis essentiam determinantur: cum ergo moralitas actionis pendeat ab agendis, rerumque aliarum coagentium essentia, & natura, Deus autem non aliter possit eam velle, quam agentis, rerumque ceterarum essentiam sibi repræsentando, liquet volendi principium repetendum esse a repræsentatione, qua divinus intellectus rerum essentiam, & naturam intuetur.

Ex his manifeste cogitur leges naturæ non esse arbitrarias, sed necessarias, æternas, ac immutabiles, id quod primi agnovere Scholastici cum S. Augustino. Nec proinde duriuscule dixisse censendus est Grotius, nec immensa Dei potentia, ut quod intrinseca ratione malum est, malum non sit, effici posse. L. 1. C. 1. §. 10.

Alterum argumentum legum divinarum bonitas suppeditat, quæ si forent arbitrariæ, neque ipsæ, neque divina voluntas esset magnopere commendanda: solum enim illum laude dignum ducimus, cujus voluntas nonnisi gravissimis, atque rectissimis incitamentis determinatur, qui proinde bonum in objecto rectissime, ac securissime ope intellectus pervidet.

- 1) Si leges a Deo latas tanquam actiones voluntatis ejusdem spectemus, debuit ille ad eas ferendas incitamenta desumere vel ab ipsa actio-



num, ad quas obligari voluit, bonitate; vel ab earundem habilitate ad conciliandam in agente perfectionem.

- 2) Excusari possunt illa tempora, quibus natura voluntatis, atque libertatis nondum fuit satis eruderata, si Deo incongruam adtribuerint independentiam, putarintque eundem decernere sine ullo ad fundamenta objectiva respectu.
- 3) Argumentum præsens peculiariter eruderarunt recentiores quidam Philosophi Angli psychologico, & morali Platonis Systemati paulo addiditiores. Vid Schafesbury Inqu. conc. virt. T. 1. P. 3.

§. 32.

Perfecta liberæ actionis bonitas.

Ad bonam igitur actionem pertinet, ut nihil in ea, neque ex parte intellectus, neque ex parte voluntatis, & incitamentorum quidquam desideretur. Actio enim hoc debet oriri modo: intellectus perspicit bonum aut malum; cognitio ista delectationem, vel tædium gignit, cujus sensio excitat voluntatem ad adpetendum, vel averfandum; voluntas incitat corpus. Siquid horum desit, aut in his defectus quispiam insit, deerit actioni aliquid ad bonitatem.



—○—○—○—

S E C T I O T E R T I A.

De obligatione.

§. 33.

Obligatio passiva.

Quod per leges liberæ voluntatis fieri potest, dicitur *moraliter possibile*, & vicissim: ejus autem contrarium, quod est moraliter impossibile, vocatur *moraliter necessarium*. Moralis vero agendi, vel non agendi necessitas *passiva obligatio* adpellatur.

Superior definitio non dissentit ab illa, qua id moraliter possibile dicitur, quod nulli legi repugnat, seu quod sapientiæ, & bonitati conveniens est.

§. 34.

Obligatio activa.

Voluntatis liberæ principium est, ut illud adpetat; vel aversetur, quod eidem ut bonum, aut malum distincte repræsentatur. Igitur incitamentum, quo voluntas libera ad adpetitionem, vel averfationem movetur, est boni, aut mali repræsentatio, seu motivum. Motivorum cum actione connexio est *obligatio activa*, quam quævis passiva ex hac connexionione primum oriunda necessario supponit.

§. 35.

Fontes naturalis obligationis.

Cum actiones illæ sint bonæ, quæ statum nostrum perfectiorem, illæ malæ, quæ suapte natura



imperfectiorem reddunt (24), ipsa hominis, rerumque aliarum natura debet esse fons obligationis comparate ad actiones intrinsece bonas, aut malas. Nam per actiones nostras idcirco efficimur meliores, aut deteriores, quod nostra, rerumque aliarum natura ita ut nunc, & non aliter, sit comparata. Unde simul elucet studium, indagationemque naturæ in morum doctrina magnum habere momentum.

§. 36.

Naturalis, & positiva obligatio.

Obligatio ex interna promanans actionis bonitate *naturalis*; quæ autem aliunde, ab ente scilicet quopiam ratione prædito, & nos obligante provenit, *positiva* dicitur. Qui primum obligationis genus repudiant, omnem obligationem a voluntate legislatoris derivant, eamque adpellant naturalem, quæ ex divina voluntate oritur. Verum in aperto est 1) dari obligationes citra omnem superioris voluntatem. 2) Illam ipsam, quam Deus imponit, non esse immediatam, sed nos ab eodem nonnisi per naturam rerum obligari, cujus scilicet præsens constitutio opus ejusdem est.

§. 37.

Obligatio ex ipsa natura liberarum actionum.

Ex ipsa liberarum actionum indole demonstrari potest obligatio ponendi actiones bonas, & vitandi malas. Nam quidquid ut bonum vel malum intellectus clare proponit, id voluntas adpetit, vel refugit: atqui claræ boni malive repræsentationes sunt motiva, seu principia volendi bonum, & re-
pu-

puđiandi malum: nec possunt actiones interne bonæ aliter, quam ut bonæ, malæ ut malæ, clare representari, cum motiva ad hoc ipsum præsto sunt. (34): possumus ergo ex ipsa liberæ voluntatis indole perspicere nos per internam actionum moralitatem obligari ad eas ponendas, vel omittendas.

§. 38.

Ad quænam possimus obligari.

Cum obligationem morales actiones pariunt (34), suapte sequitur neminem posse obligari 1) ad actiones absolute impossibiles, 2) ad absolute necessarias, 3) ad pure possibiles, 4) ad physice impossibiles, 5) ad physice necessarias. Potest nihilominus quis obligari ad actiones, quarum physica impossibilitas ab ejus pendebat arbitrio, ejusdemque culpa factum est, ut redderentur physice impossibiles.

§. 39.

Quisnam possit obligari, & obligare.

Ad obligationis vinculum pertinet motivorum cum actionibus connexio: quicumque ergo me ad actionem quampiam obligare vult, debet ille posse motiva cum eadem connectere, seu efficere, ut actio reddatur bona, vel mala: qui autem obligandus est, debet connexionem hanc pervidere, qua in re officio intellectus opus est.

§. 40.

Genera quædam obligationum.

Si actio, ad quam obligamus, reapse consequatur, obligatio erit *efficax*; sin autem omittatur,



erit *inefficax*. Erit item *simplex*, si ex unico; *composita*, si e motivis pluribus oriatur. Motiva porro simul concurrentia sumuntur vel ex interna, vel ex externa actionum moralitate: in casu priore *naturalis* futura est obligatio, in posteriore *arbitraria*, ubi nempe motiva neſuntur cum actione per imperantis voluntatem, qui si Deus, aut homo fuerit, ipsa etiam obligatio *divina*, vel *humana* erit.

§. 41.

Gradus obligationis.

Humana quævis actio capax est naturalis obligationis (40), cum quævis habeat internam moralitatem (24). cadatque in naturalem hanc obligationem, quamprimum moralitas ejusdem perspicitur. Quia tamen intelligendi facultas inter homines tam est varia, ut non omnes sint idonei ad internam cujusvis actionis moralitatem illico pervidendam, non idem est gradus obligationis pro omnibus hominibus. Comparetate nihilominus ad totum genus humanum actio quævis debet aliquam adnexam habere obligationem, secus evenire utique posset, ut interna ejusdem moralitas nulli mortalium patefiat, quo quidem casu desineret esse actio humana libera.

§. 42.

Fons cujusvis obligationis.

Obligatio ad bonas actiones imponit nobis necessitatem nosmet perficiendi, cum per eas reapse perficiamur, per malas contra imperfectiores efficiamur. Quare totam naturalem hominis obligationem possumus unica hac lege complecti: *conare*

te per bonas a^{ct}iones tantum perficere, quantum naturaliter, & moraliter consequi potes: conare semper maximum, quem potes, adipisci perfectionis gradum. Hoc est principium ultimum, & suprema lex moralis.

A^{ct}iones morales, quo ad innocuas delectationes sensuales, statusque nostri externi perfectionem referuntur, *utiles*; quæ vero internam nobis adferunt, tanquam media, perfectionem; *honestæ* nominantur.


§. 43.

Argumenta pro prima lege morali.

Inter ea, quæ contra principem hanc legem moralem obmoveri solent, illud est, officia socialia deduci ex eadem haud posse. Difficultatis hujus enodatio, in qua acquiesci posset, utilissimis virorum celebrium eruderationibus suppeditavit occasionem. Nam 1) erant, qui sociales leges ex eadem ope experientiæ niterentur deducere, contenderentque hominem extra societatem sese perficere minime posse. 2) Alii partim experientia, partim ratione conabantur evincere, hominem sese, ut medium perficiendo, eadem opera etiam ut scopum perficere.

- 1) Experientia teste, in humana societate pars a toto redditur perfectior: quare satis habuit Wolfius obligationem sociale[m] ex hac ipsa experientia derivare. Baumgarten eandem e ratione repetivit, contendens dari obligationem, ut quis se etiam ut medium perficiat, quæ in sequentibus uberius declarabitur.

2) Pe-



2) Peculiares quædam ad rem præsentem facientes experientiæ sunt: 1) Singularis cujusvis hominis perfectionem per aliorum consortium modo mediante, modo immediate promoveri, ac proinde 2) in generis humani procuranda perfectione influere totius perfectionem etiam in perfectionem partium. Satis enim constat pleraque hominum opera e. g. scientias tam theoreticas, quam practicas, nonnisi conspirante plurium conatu posse ad notabilem quemdam perfectionis gradum adduci. Præterea ad sublimiorem quemdam operum humanorum perfectionem pertinere varios habitus virium corporis & animæ sparsarum per homines singulares, e quarum mutua conspiratione, variaz ad diversa objecta habilitates, & varii eadem pernoscendi, & pertractandi modi redundant. Quilibet itaque homo potest communi societatis opera ad provehendam propriam perfectionem optime uti.

§. 44.

Ulterior ejusdem applicatio.

Leges hæ ambæ sunt perfectissimæ, posterior speciatim pro moralibus disciplinis admodum sæcunda. Restat etiamnum, ut ex ipsa hominis natura propius ostendatur modus, quo homo alios perficiendo seipsum perficiat. Fit nempe hoc ipsum virium sibi propriarum expromtione, sine qua officiorum socialium exequutio consistere nequit, quæque semper accurate respondet perfectioni, quam quis in alio libera sua actione producit, cum scilicet perfectio effectus debeat proportionalis esse causæ

ſæ ipſius perfectioni, im quantum idem a cauſa pendet.

SECTIO QUARTA.

De Religionis ad naturalem obligationem
relatione.

§. 45.

*Poteſt naturalis quædam obligatio ſine
religione cognoſci.*

Cum naturalis obligatio ad liberæ actiones reſultet e clara repræſentatione internæ earundem moralitatis, hæc autem in conſenſu, vel diſſenſu earum hominis, rerumque ceterarum eſſentia, & natura conſiſtat, clarum eſt dari etiam pro atheo naturalem aliquam obligationem. Cum enim atheus eſſentiam, ac naturam rerum haud neget, debet in his perſpicere fundamentum moralitatis internæ actionum, adeoque naturalem etiam ad eaſdem obligationem.

- 1) Cum naturalem obligationem alienam quoque perfectionem promovendi etiam ex eſſentia, & natura hominis deduxerimus, nullum eſt dubium eam citra religionem cognoſci poſſe, quod quidem adſertum adeo non eſt periculolum, ut potius in rubores det atheos illos, qui putant Deo negato portam ſibi ad omnem morum licentiam, & perversitatem aperiri.
- 2) Fanaticus non agnoſcit naturalem obligationem: atheus negat religionis in eandem influum: rationabilis Dei cultor media quadam
incc-



incedit via, & fatetur obligationem naturalem religione fulciri, atque compleri.

§. 46.

Manca est naturalis obligatio atheorum.

Obligatio naturalis atheorum valde manca est comparate tam ad extensionem, quam ad efficaciam. Nam 1) in morali atheorum Philosophia deficit obligatio naturalis colendi Deum. 2) Atheus non nisi eas potest agnoscere naturales obligationes, quæ e proxima, non item eas, quæ e remotiore actionum suarum utilitate promanant. Non videt ea, quæ obligationem pariunt e relatione, quam habent ed remotissima consuetudina, uti est cultura intellectus, & cordis, item ad commune bonum, ubi ille non alium finem, quam suum unice spectat emolumentum.

Felicitas hominis est comprehensio statuum se se excipientium, adeoque nunquam est tota præsens. Status ejusdem sibi succedentes sunt alterni, modo suaves, modo insuaves. Possum ergo propter majorem totius meæ essentia perfectionem, & commune bonum adstringi ad ferendum statum quemdam inamoenum, quem alias averfari deberem. Tollitur hæc obligationum collisio admiffa animorum immortalitate, & Dei providentia. Nam obligatio ad actiones quasdam bonas tunc solum potest habere locum, si supersit anima post corporis interitum. Tales sunt actiones, per quas perfectionem tanquam finem primum post mortem consequendum procuramus, aut jam procurata fruimur. Atqui animorum immortalitas supponit Dei existentiam ut jam demonstratam: nequit ergo naturalis ad has actiones obligatio sine religione cognosci.

Vis

Vis argumenti hujus cum primis elucet in pœna capitali. Cum enim condemnatus ad mortem per ipsum supplicium destinatus esse membrum civilis societatis, nequit in eadem tanquam scopus perfectior fieri, si pœnæ mortis se subiciat. Non igitur obligaretur pati sententiam judicis, si per eam in futuro post mortem statu perfectior non efficeretur.

§. 47.

Manca præterea est atheorum obligatio relate ad efficaciam. Cum enim hæc e magnitudine, & multitudine incitamentorum nascatur, magnum addit religio cuivis obligationi naturali momentum. Nam 1) proximis etiam remota jungit motiva e perfectione totius humanæ essentiæ promanantia. 2) Præter incitamenta naturalia ea etiam suppeditat, quæ non ex actionis ipsius natura, sed ex voluntate Dei sunt cum eadem connexa. Cum enim voluntas Dei sit perfectissima, etiam in reliquorum entium constitutione, quibuscum homo est in consortio, inest motiva ad liberas ejusdem actiones.

- 1) Ad motiva ista naturalem obligationem roborantia referri præterea possunt. 1) Quod religio legum naturæ observationem tanquam cultum, & imitationem Dei proponat. 2) Item tanquam medium eidem nosmet uniendi, cum non alia unio habeat inter spiritus locum, quam voluntatum consensus. 3) Ad hæc tanquam medium fruendi Deo, quo quidem frui non aliter possumus, quam e perfectionis divinæ consideratione depromendo incitamenta ad legum naturalium observantiam, ut ita beati efficiamur,



mur, quod est confectarium quoddam hujus observantiæ.

- 2) Quid quod ipsa inter regnum naturæ, & gratiæ relatio luculenter ostendat mundi hujus constitutionem esse opus autore dignum sapientissimo, ubi regni prioris constitutio posterioris etiam promovet emolumenta. Molestiæ ipsæ, quas vicissitudines mundi hujus adferunt, salutarem consequuntur sub Dei gubernatione efficacitatem ad procurandam hominum felicitatem.

SECTIO QUINTA.

De Sensu morali.

§. 48.

Ejus definitio.

Moralitas actionum, & inde resultans obligatio menti non raro clare duntaxat, non item distincte proponitur: perceptio tamen ejusdem potest consequi notabilem quemdam vivacitatis gradum, cui respondent animi facultas *sensus moralis* appellatur. Cumque moralitas actionum ex ea, quam ad hominis perfectionem habet, relatione cognoscatur, patet a sensu morali proponi nobis actiones quasdam ut bonas, quæ vel ad nostram propriam, vel ad alienam perfectionem tanquam finem referantur, quod posterius quidam *benevolentiam*, seu sensum moralem strictiori significatione compellabant, & proprie ad facultatem actionum alienarum moralitatem percipiendi restringebant.

Sensum moralem priore sensu usurpabat David Hume, quod diceret esse eundem affectionem
animi

animi adprobantem, vel improbantem iudicio intellectus de actionum moralitate supervenientem. Vid. Anhang von mor Gefühle. P. 3.

§. 49.

Origo ejusdem.

Non est ergo sensus moralis facultas animi primigenia, quæ scilicet ex aliis facultatibus non derivetur. Cum enim ejusdem ope moralitas actionum in consensu, vel dissensu jam sæpius commemorato sita clare proponatur, non aliud est, quam analogum quiddam ex intellectu derivatum, & sensualis judicandi facultas ad moralitatem adplicata quemadmodum sensualis voluptas, aut fastidium, ac inde proveniens adpetitio, vel averfario ad inferiorem adpetendi facultatem pertinent, in quantum earum illecebræ, ac incitamenta in percepta liberarum actionum moralitate continentur.

- 1) Eodem plane modo sensus moralis non est facultas animi originaria, sed instar stimuli cuspium, & instinctus agit. Nam eo pertinentes jucundæ amicitia, gratitudinis &c. impressiones, seu delectationes ex aliena felicitate promanantes, resolvuntur denique in propriæ nostræ felicitatis incentiva. Optamus certe alienam prosperitatem propter nostram ipsorum delectationem, atque adeo felicitatem (43).
- 2) Unicus ergo duntaxat datur stimulus primigenius, & universalis: ceteri particulares derivati sunt. Nec obest nos horum in consociatis sensationibus conscios nobis non esse, cum plura certe insint in animo conscientiam nostram fugientia, maxime cum affectu quoquam
abre-



abrepti sumus. Ceterum sentimus ex aliena prosperitate voluptatem nobis adferri, quod sufficit ad sociales sensationes e stimulo primigenio deducendas.

§. 50.

Si nomine habitus ingeniti ille veniat, qui usu, & exercitatione non excolitur, nequit sensus moralis in eodem reponi. Hujus habitus usu acquiritur, & exercitatione perficitur, sicut facultas intelligendi acuitur, speciatim autem perficitur per legitimum ejusdem usum in dijudicandis liberis actionibus, ubi ipsa etiam moralitatis cognitio plurimum promovetur, & emendatur.

- 1) Erant, qui sensum morale non pro innato solum habitu, sed plane pro independente a primigeniis animi facultatibus haberent.
- 2) Judicia moralia possunt resolvi in perceptiones per internum animæ sensum acquisitas, & ope intellectus abstractas, atque hoc sensu ingenita vocari. Moralis itaque sensus, quemadmodum ceteræ reales animi facultates, non consistit in nudo *posse*, sed reapse continet notiones, & judicia, quæ eidem clara quidem possunt reddi, non tamen distincta, & satis explicata; quæ proinde occasione externarum impressionum non penitus denuo gignuntur, sed tantum evolvuntur. Hoc pacto defendit Shaftesbury ingenitum quemdam sensum morale contra Lockium.

§. 51.

Confectaria.

Ex haftenus dictis sequitur 1) sensum moralem tanquam habitum in variis hominibus varia esse extensionis, rectitudinis, vivacitatis, efficacitatis &c. 2) Vel in eodem homine crescere, aut minui posse pro vario culturae gradu. 3) Augeri, & emendari quavis intellectus expolitione, illa cum primis, quae versatur in moralitatis dijudicatione.

§. 52.

Moralis Pulchritudo.

Cum bonum morale tam in se generatim, quam etiam in aliis possit intellectui non satis explicate proponi, & sentiri, potest eandem in nobis concire voluptatem, quam illud, quod pulchrum dicimus, solet conciliare. Solemus illud, dum ita proponitur, *moralem* vocare *pulchritudinem*. Quidquid in nostris molitionibus, actionibus, sensis, vel habitibus perfectum est, speciem nobis objicit pulchri moralis, quod cum ad nos ipsos refertur, excitat delectationem cum adpetitu.

- 1) Morale omne illud dicitur, quod cum libertate propius connectitur, sive deinde sit principium, uti sunt practica liberarum actionum iudicia; quae *sensa* nuncupamus: sive *confectaria*, ut ipsae actiones liberae.
- 2) Ens ratione praeditum adpellamus *nobile*, cum in eo & plures, & longe majores insint realitates essentiales: sic etiam *sensa*, actus, & habitus dicimus *nobiles*, quatenus consentiendo cum essentialibus hisce realitatibus, natu-



ræ rationali plures alias superaddunt realitates,
& perfectiones.

- 3) Gustus, & sensus moralis habent quiddam commune, & unius cultura, ac emendatio potest influxu suo, & adplicatione alterum adjuvare. Sunt autem ambo non aliud, quam mens vivide adprehendens; unde ambo sunt adtributa creaturæ rationalis. „Non illa par-
„ va vis naturæ est, rationisque, ait Cicero,
„ quod unum hoc animal sentit, quid sit or-
„ do, quid sit quod deceat, in factis dictisque
„ qui modus. Itaque eorum ipsorum, quæ ad-
„ spectu sentiuntur, nullum aliud animal pul-
„ chritudinem, venustatem, convenientiam
„ partium sentit. Quam similitudinem naturâ,
„ ratioque ab oculis ad animum transferens
„ multo etiam magis pulchritudinem, constan-
„ tiam, ordinem in consiliis, factisque conser-
„ vandum putat, cavetque, nequid indecore,
„ effeminate faciat, tum in omnibus & opi-
„ nionibus, & factis nequid libidinosè aut fa-
„ ciat, aut cogitet,,. De Off. 1. 4.
- 4) Sensorum, actionum, & habituum pulchritudinem longe majorem, & vividiorum solemus nobis repræsentare, si in iisdem alias quoque deprehendamus comparate ad reliquorum viventium commoda, vel ad divina consilia convenientias.



S E C T I O S E X T A.

De Legibus Moralibus.

§. 53.

Notio Legis Moralis.


Lex moralis est regula liberarum actionum. Quævis autem regula habet principium aliquod determinans, quod hoc loco est perfectio, ad cujus procurationem, tanquam ad naturalem finem, actiones liberæ referuntur. Quicumque vero hanc relationem sibi repræsentat, pervidet utique ejus moralitatem, adeoque etiam ad actiones obligationem. Quævis ergo lex aliquam fert secum obligationem, potest generale illud pro vero haberi, quod nobis proponit obligationem ad actiones sub eodem illo generali comprehensas.

§. 54.

Principium legis.

Principium, ad cujus normam actio libera, de qua lex agit, exigenda est, *ratio legis* vocatur. Principium hoc vel est *morale*, seu *objectivum*, si ex interna desumitur actionis moralitate: vel *legale*, si proxime fundetur in aliis legibus.

Legis principium est incitamentum ad ferendam legem, seu legislatoris in ferenda lege intentum. Si causæ legislatorem impellentes, cur certo tempore legem condant, sint peculiaris quædam adjuncta, & eventus, ex his morale legis principium, & ratio facile perspici potest: unde eventus hujusmodi sensu latiore adposite dicuntur *historica* legis principia, quemadmodum late propagatus cælibatus



tus legis Pontificiæ, exilium Hyperboli sublatis ostracismi principia historica fuerunt.

§. 55.

Genera legum moralium.

Leges naturæ ad internam: *positivæ & arbitrariæ* ad externam referuntur actionum moralitatem. Cumque leges obligationem nobis proponant ad actiones sibi subjacentes, hæc autem e representatione moralitatis actionum nascatur, elucet principium legum naturæ esse actionum moralitatem in suis consecrariis, seu in scopo, quem homo ut talis relate ad suam beatitatem habere debet: legum vero civilium principium proximum situm esse in earundem fine, seu in reipublicæ felicitate.

- 1) *Leges naturæ* sensu proprio sumtæ, seu quæ e generali hominis notione deduci possunt, nequeunt habere aliud determinationis principium, quam communem hominis essentiam. Quia tamen homo etiam in variis magis determinatis statibus tam physicis, quam moralibus potest considerari, nascuntur variæ leges speciales, quarum determinationes in statibus hujusmodi fundantur.
- 2) Huc referas patriam, quam populus incolit, ejusdem clima, opes naturæ &c. Principium legis ex his adjunctis natæ potest adpellari *geographicum*; quod autem a morali societatis cujuscumque constitutione desumitur, *politicum*. Nexus iste notionum legum inter se, & sua geographica, politica, & historica principia *spiritus legis* a quibusdam nuncupatur.

§. 56.

§. 56

Suprema Lex.

Lex remotiore nixa principio *excelsior*, cujus autem principium propius est, *inferior* dicitur: *suprema* igitur lex moralis hæc est: *Effice te, & statum tuum perfectiorem*: ultimum enim legum omnium moralium principium est maxima hominis perfectio, tanquam ultimus, & supremus actionum ejusdem liberarum finis; unde lex quoque ipsa *suprema* latissime pertinet, cum actiones omnes liberas vel immediate, vel mediate comprehendat.

Quo nempe affinior est libera actio principio actionum omnium determinativo, eo major est, & luculentior ad eandem obligatio, id quod intensivum constituit legis vinculum. Hinc cum legum superiorum fons propius connectatur cum ultimo actionum liberarum determinativo principio, etiam vinculum ejusdem fortius est. Hac de causa lex conservationem vitæ nobis imperans validior est, quam quæ particularis cujusdam membri custodiam præcipit, cujus amputatione vita servari possit.

§. 57.

Collisio legum.

Si legis cujusdam observatio in causa sit, cur legi alteri satisfieri haud possit, enascitur legum, ac proinde ipsarum etiam obligationum *collisio*, quo casu lex superior, tanquam validius stringens, erit observanda, atque exceptio a lege inferiori facienda. Nullæ quippe dantur undequaque similes, & æquales leges, ac obligationes, cessatque vinculum legis inferioris, si eadem cum superiore col-



lidatur: cessat item inferior obligatio, si cum superiore in conflictum veniat.

In facienda exceptione sæpe in angores conjicitur conscientia, quos quidem non parum auxerunt casuistæ. Ut enim certissima sit regula de observanda lege validiori, tamen non semper adparet, utrius sit validius vinculum, id quod, si deliberationi tempus non suppetat, plerumque sensus moralis debet definire. Unde adparet, quanto opere vel hac de causa sit elaborandum, ut sensus hic, quoad fieri potest, rectus efficiatur, animetur, & sensus ad nobilitatem totius naturæ humanæ facientibus foveatur; & tunc ille rectius sane, atque securius decernet, quam Casuistæ omnes, & Sophistæ.

§. 58.

Veræ, & falsæ leges.

Lex vera est, quæ veram, falsa quæ falsam imponit obligationem: cum ergo res omnis ad obligationis æquitatem redeat, lex prætenfa non erit vera 1) Si actio imperata non sit obligationis capax. 2) Si motiva falsa, seu aliqua ratione impossibilia sint. 3) Si inter bonum aut malum in motivis contentum, & inter actionem ipsam nulla intercedat connexio.

1) In legibus positivis motivorum nexus cum actione pendet a voluntate legislatoris, quem ut primum constat nexum hunc fecisse, & adjunctis omnibus consideratis facere potuisse, veritas legis positivæ extra omnem est posita dubitationem.

2) In legibus contra naturalibus requiritur 1) ut principium earundem sit verum bonum. 2) Ut
bo-

bonum hoc sit ejusmodi finis, qui per actionem, de qua lex disponit, obtineri possit.

- 3) Legum positivarum solent interdum falsa adferri principia, quæ tamen legem vitiosam non reddunt, modo illa ex aliis principiis vera sit. Simile quid occurrit in ea Romanorum lege, qua in iudicium venire vetabatur cæcus, quod scilicet ille, sicut lex addit, majestatem, & insignia magistratus videre nequeat. Item in illa Gallorum lege, qua sanciebatur jura Ecclesiasticum pertinere ad Regalia, quod rotunda esset corona. Vid. Montesq. Espr. des Loix.

§. 59.

Jus, Præmium, Poena.

Jus generatim est potestas moralis: potentia actionem citra legum naturalium læsionem ponendi, vel omittendi *Jus naturale* dicitur. Id quod obligationem legi conciliat, sunt motiva, seu representata bona, vel mala actionum consecutaria. Bonum accidentale, quod alicui propter bonam quampiam actionem moralem obtingit, *præmium*, malum accidentale sinistram actionem comitans *poena* vocatur.

§. 60.

Naturalia, & arbitraria Præmia, & Poenæ.

Præmia, & poenæ ad moralitatem actionum pertinent, cum sint earum consecutaria, propter quæ actio ipsa bona, vel mala est. Quare cum moralitas ista modo interna, modo externa sit, facile intelligitur, quanam præmia, vel poenæ *naturales*, quanam sint *arbitrariæ* seu *positivæ*, quæ item ex his ipsis *divinæ*, aut *humanæ*.

C 4

§. 61.



§. 61.

Perfecta, & imperfecta obligatio.

Obligatio stringens ad actionem quampiam voluntate repugnante ponendam est *moralis coactio* in solis obtinens poenis. Si cui invito molesta quapiam adfectione violentia quodammodo inferatur, vt hac victus agat denique id, quod vult is, qui vim infert, oritur *extorsio* liberæ actionis, quæ cum juncta moralis coactio *externa*, *cogens obligatio* nuncupatur: quæ contra ex aliis principiis provenit, *interna* audit, estque vel *perfecta*, si nimirum *externa* quoque accedat; vel *imperfecta*, si non accedat.

§. 62.

Externæ, & internæ leges, ac jura.

Leges externam continent obligationem *externæ*, quæ internam continent, *internæ* sunt: quæ ambas complectuntur, *perfectæ* adpellantur. Hinc illud etiam intelligi potest, quænam leges naturales externæ, quæ item sint internæ, quod e natura obligationis facile definitur. Jus a lege naturali externa, vel interna promanans ipsum etiam *naturale externum*, vel *internum* est: quod autem ex ambabus resultat, *perfectum* vocatur. Autor demum obligationis in lege contentæ nomen habet *legislatoris*.



—○—○—○—

S E C T I O S E P T I M A .

De Imputatione , & conscientia.

§. 63.

Imputatio.

Cum rei ex adione consequentis quempiam autorem esse judicamus, eam illi *imputare* dicimur. Autoris autem nomine venit, qui est causa libera actionis, cujus moralitatem bona, vel mala confectaria constituunt. Hinc imputando censemus aliquem liberam esse moralitatis in adione contentæ causam. Hæc autem moralitas e lege cognoscitur, unde quælibet imputatio supponit legem. Leges porro universales sunt, adplicantur autem ad casum particularem, cum is sub generali legis subjecto comprehendi agnoscitur, unde prædicatum quoque legis eidem adtribuitur: necesse igitur est, ut lex in quavis imputatione adplicetur ad actionem.

§. 64.

Partes ejusdem.

Hæc autem adplicatio semper peragitur saltem tacite ratiocinando, omnemque imputationem præcedit conclusio, ubi vices majoris obit ipsa lex, minoris actio, conclusio continet ejusdem moralitatem.

- 1) Partes hæ non sunt quidem semper evolutæ, atque seorsim explicatæ, in quavis tamen imputatione, quam sensus moralis consueta peragit celeritate, reapse comprehenduntur.
- 2) Operatio hæc moralis varia sortitur nomina laudis, vituperii, æstimationis, admirationis,

con-



contemptus &c, prout scilicet solum ad autorem, vel simul etiam ad actionem refertur: prout adfectio moralis dignitatis, quam actio auctori conciliat, cum eadem connectitur: prout denique alii, vel nosmet ipsi autores sumus.

- 3) E notione imputationis hunc in modum enucleata denuo patet phænomena sensus moralis, quem Angli quidam pro primigenia, & independente animi facultate habebant: in superioribus allata non esse aliud, quam rationis vivide adfectæ operationes, judicia proinde moralia in iisdem contenta non esse veritates sic indemonstrabiles, ut quidem Hutcheson, Home, & Smith putabant. Quicumque ergo vitium subtilis fanaticismi moralis vitare vult, non debet existimare sensus moralis phænomena a ratione minime dependere.

§. 65.

Conscientia.

Cum imputatio tacite ratiocinando, & moralitatis cognitione peragatur, fieri, nisi ab ente rationali, non potest. Cum præterea ille, cui quidpiam imputatur, auctor facti esse debeat, evidens est nulli quidquam posse imputari, nisi enti ratione prædito, eademque utenti. Jam vero actiones aut nostras proprias nobismet ipsis, aut alienas aliis imputamus. Genus primum imputationis est *conscientia*, quæ communi loquendi usu modo facultatem, modo habitum, aut ejusdem exercitium denotat.

- 1) Ex adcuratori determinatione modi, quo conscientia in dijudicanda actionum nostrarum
pro-

propriarum moralitate occupatur, luculenter adparet, quonam illa differat a sensu morali.

- 2) Id quoque elucet e superioribus conscientiam sensu strictiore sumtam, prout scilicet a sensu morali distinguitur, non aliud esse, quam rationem de actionum nostrarum moralitate decernentem, quod ipsum valebit etiam de conscientia latiore significatione pro sensu morali sumta (52. anim. 3.)

§. 66.

Genera Conscientiæ.

Judicium depromimus *theoreticum*, cum definimus actionem bonam, vel malam esse: *practicum*, si judicamus, utrum eadem ponenda, vel omittenda sit. Quodsi iudicium istud rectum sit, *recta*, secus autem *erronea* erit conscientia.

§. 67.

Fontes errorum conscientiæ.

Imputatio, & conscientia non erit recta 1) Propter legis, ejusdemque principii ignorantiam, unde nascuntur *errores circa legem*. 2) Propter ignorantiam facti, unde oriuntur *errores facti*, cum scilicet pro facto sumitur, quod factum non est: cum factum pro libera habetur actione, qualis tamen non est: cum auctori, qui non est, adtribuitur. 3) Propter errorem formæ in ratiocinio admisum. Qui habitum recte imputandi possidet, seu leges actionibus adplicare novit, *practicus Jurisperitus*; qui sciens, ac volens inique imputat, *Rabula* audit,

§. 68.

*Meritum.*

Judicium, quo actio ut bona imputatur, *adprobans*, huic contrarium *improbans* dicitur: priore censetur actio præmio, posteriore digna esse pœna, adeoque primum autori *meritum* latiore sensu, postremum *demeritum* adtribuit. Bona porro actio confert autori jus ad præmium, idque perfectum, vel imperfectum: ac si motiva ejusdem suppeditet perfectio objecti extra ipsum agentem positi, conciliat autori moralem æstimationem, quæ jure optimo præmium dici potest.

- 1) Utraque hæc meriti latius, ac strictius sumti notio in eo consentit, quamlibet altiorem perfectionis moralis gradum esse scaturiginem tametsi remotiorem alienæ perfectionis.
- 2) Quare si de meriti momento sit quæstio, respiciendum est non ad extensionem modo, & magnitudinem bonorum actionis consecutorum, sed etiam ad ipsam consecutorum gravitatem, ad remotiora eorundem principia, ad propriam bene merentis perfectionem.
- 3) Sejungenda est ab allatis significationibus illa, quæ *juridica* dicitur, quæque jus perfectum involvit ad præmium. Ex hoc autem significationum discrimine deciditur illa quæstio, an actiones hominum cum virtute conjunctæ sint apud Deum meritoria. Vid. Abr vom Verd.

Capacitas imputationis.

Imputationis possibilitas est *imputativitas*, eaque vel physica, vel moralis, vel absoluta, vel con-

conditionata. Actiones duntaxat morales sunt imputabiles. Quare fieri potest, ut actio quæpiam imputetur uni, non item alteri, apud quem moralis non est.

- 1) Omnia ergo status moralis consecratoria possunt imputari, quo etiam actiones illæ pertinent, quæ sunt conditionate necessaria status ejusmodi consecratoria.
2. Dantur status morales interni, quo vocabulo possumus complecti quorumvis habituum moralium congestum. Dantur item externi, quo nomine venire potest complexus officiorum, & jurium erga alios. Status hi ambo morales sunt, quatenus a nostra pendent libertate, possuntque imputari una cum suis consecrariis.

§. 70.

Imputabilitas operationum facultatum animæ.

Cum actiones omnes liberæ sint imputabiles, in hunc censum etiam veniunt sensiones nostræ, imaginationes, recordationes, obliviones, operationes intellectus; errores, & ignorantia, quatenus a nostra pendent libertate. Porro delectatio, ac tædium, sensualis adpetitio vel averfatio sunt eo solum casu imputabilia, quo sensiones ipsæ, atque imaginationes, quibuscum connectuntur.

Cum vero sensiones a corporis nostri constitutione pendeant, quæ decreto voluntatis sæpe subjacet, cum mutare imaginationes non raro possumus pro arbitrio, palam est has etiam actionibus liberis posse nonnunquam adnumerari. Qui ergo adtentionem in objectum quoddam sensibile ultro
desi-



defigit, vel ad effigiem phantasticam dirigit, voluptatem, aut fastidium concipit imputabilem.

- 1) Ceterum ipse quoque modus, quo sensiones nos adficiunt, suaviter nimirum, aut fastidiose, a nostro sæpius pendet arbitrio; possunt igitur illæ suis in consuetariis nobis merito imputari.
- 2) Moralis illa voluptatis, & fastidii æquipolentia, quam impressiones involuntariæ in sensu excitant, tam est naturalis, ut eam vel stoici agnoverint. Falsum enim est illos præten- disse a sapiente, ut dolorem neget esse dolo- rem, aut dicat voluptatem non esse volupta- tem. Vid. Arian. Serm. Epict.

§. 71.

Imputatio oblivionis, & memoriæ.

Non ipsæ modo actiones, sed etiam habitus; & eorundem defectus, utpote consuetaria liberarum actionum, possunt imputari. Sic imputatur obli- vio, si repræsentationem quampiam diligenter non iteramus; si adtentionem ab ea sponte avertimus; si memoriæ, & imaginandi facultatem satis non excolimus. Contra si ideam quampiam ultro sæpius iteramus, ac fovemus; si per eam ad alias lubricas inclinationem provocamus, potest memoriæ nostra jure imputari.

Vides ergo, quomodo possit ratio imperium in phantasiam, & in cor amittere, & quanti sit momenti imaginationem statim in principio avertere a lubrica ejusmodi imagine, quæ cordis puritatem corrumpat, & sensim mancipium faciat voluptatum impudicarum, & inquietantium.

§. 72.

Imputatio ignorantiae, erroris, & dubii.

Ignorantia, & error, cui oppositam cognitionem, aut notitiam nobis comparare non obligamur, est *invincibilis*: sin autem adsit obligatio eandem comparandi, utrumque est *vincibile*, potestque una suis consecrariis imputari. Id ipsum valet de dubio. Imo etiam extortæ quædam actiones sunt imputabiles.

De dubii moralitate etiam in negotiis religionis iudicium tantum comparate ad usum libertatis ferri. Remedia contra dubium securissima præbet Logica.

§. 73.

Forum.

Forum morale est status, in quo facti certi imputatio possibilis est. Huc pertinent 1) Leges. 2) Investigatio facti. *Seculare*, seu *humanum* vocatur status personæ cujuscumque, in quo alteri liberam ejusdem actionem imputare potest. Huc referuntur 1) externæ solummodo actiones, 2) quæ sub externa aliqua lege continentur, unde & *forum externum* adpellatur.

§. 74.

Internum.

Forum internum est status, ubi imputatio etiam internorum actuum juxta leges internas locum habet. Cum conscientia suas proprias actiones liberas cuilibet imputet, potest hoc ipso de suis internis actibus liberis e norma internarum legum iudicium ferre, unde forum istud nuncupatur *forum*
con-



conscientiæ, aut *forum rationis*, cum conscientia ad rationem pertineat.

§. 75.

Divinum.

Ad Deum quod adinet, 1) cognoscit ille sua omniscientia omnes veras leges, omnes creaturarum internas, & externas actiones. 2) Est autor externi, & interni tribunalis. 3) Imputatio ejusdem est perfectissima. Datur proinde *forum divinum*, seu *poli*. Imo ipsum etiam conscientiæ forum, in quo imputatio juxta plures, & validiores leges perfectius, ac certius peragi potest, forum divinum est.

SECTIO OCTAVA.

De Officiis.

§. 76.

Definitio, genera, & requisita.

Officium est actus, ad quem obligamur: nulla ergo non moralis actio potest venire nomine officii. Actus ad quem adfirmative stringimur: *adfirmativum*; ad quem negative, *negativum* officium dicitur. Cum ergo officium sit actio obligationi nostræ, adeoque etiam legi, ejusdemque principio consentanea, merito adpellatur *actio legitima*: si qua vero legi duntaxat, non item principio ejusdem conveniat, *fraus legis* nuncupatur.

§. 77

Moralis officiorum expletio.

Leges *moraliter* dicimur observare actione quam, cum ejusdem cum lege convenientia moralis

ralis est, seu cum legem propter obligationem observamus: officio igitur proprie fungimur legem moraliter adimplendo. Satis proinde facimus officio affirmativo, si actionem etiam omittere, negativo, si eandem etiam ponere poteramus, propter obligationem tamen ponimus, vel omittimus.

- 1) Qui officium præstare perfecte vult, debet actionem exequi, quæ non modo vere bona sit, ac non ex erronea tantummodo conscientia pro tali reputetur (66); verum etiam debet eam propter moralitatem, seu ut Aristoteles Ethic. l. 6. c. 13. loquitur, non solum κατὰ λόγον, sed etiam μετα λόγον exequi: vel ut alii dicunt, debet actionem non modo materialiter, sed formaliter etiam bonam ponere. Hinc peccamus, si contra erroneam conscientiam recte operemur (20), cum ejusmodi actus ex parte formæ vitiosus sit.
- 2) Idem valet de legis transgressione. Cum ergo unusquisque optime nosse debeat, an, & quibus ex motivis operetur, in statu est valorem suæ actionis, & inde redundans meritum quam optime determinandi, nisi forte adfectu aliquo in partem sequiorem abripiatur. Unde manifestum est, quanta cum cautela judicare de aliis debeamus.

§. 78.

Connexio Juris cum officio

Cum quovis officio est jus quoddam connexum. Officium enim est actus lege præscriptus, eisdem proinde consentaneus; atqui propter consentaneitatem hanc actio moraliter est possibilis: jus igitur

D tur



tur ad illam habemus. Porro si quis obligatur ad finem, ad media etiam obligatur (38): habet ergo jus ad omne illud, quod ad actionem, ad quam obligatur, est medium, seu sine quo explere officium nequit.

- 1) Lex hæc in disciplinis moralibus est mire fecunda, cum jura omnia acquilita fundentur in connatis, hæc autem in obligatione originaria.
- 2) Siquis ergo possit probare se sine actu aliquo, vel actionis specie obligationi suæ nullo modo, vel non tam perfecte posse satisfacere, habet hoc ipso ad eandem jus. Hinc si imperans ope pactorum socialium in se recipiat curam securitatis civium, nec possit eam aliter procurare, quam morte plectendo perturbatores, habet ad hoc ipsum jus: unde adversus Becariam lex suppliciorum etiam e pactis socialibus potest ostendi. Similiter si introductio proprietatis sit medium necessitatibus, & commoditatibus vitæ civilis subveniendi, poterit contra Rousseau evinci competere hominibus jus ad eandem.

§. 79.

Obligatio ad debitam industriam.

Leges omnes stringunt nos ad industriam, quæ explendo officio nostro est necessaria, quæque non aliud est, quam necessaria virium ad actionem impensio, ad quam ceu *debitam* obligamur, quoties actio ejusmodi implendo officio est necessaria, secus obligarent nos leges ad aliquid impossibile.

§. 80.

§. 80.

Genera officiorum relate ad objecta.

Officia vel *interna* sunt, vel *coacta* (76. 61,). Varia pro objectorum, in quibus officia versantur varietate, nascuntur officiorum genera, uti sunt officia erga se, erga Deum, erga alios homines &c. Quæri autem potest, quanam horum sint officia coacta? priusquam respondeatur, genera ipsa explicanda sunt. Cum quilibet obstringatur ad perfectionem suam per bonas actiones promovendam, maximam habet ad summam sui perfectionem obligationem: hæc autem sita est in consensione cum ultimo cuiusvis fine, qui est Dei glorificatio, pars nimirum Religionis: est proinde obstrictus ad Dei glorificationem, ac proinde etiam ad Religionem. Actiones liberæ ad Religionem pertinentes constituunt *officia erga Deum*.

§. 81.

Officia erga Deum non sunt ex eo genere, quæ possint extorqueri.

Officia hæc primum *relate ad Deum* non sunt ejusmodi, ut vi adhibita possint extorqueri: Omnis enim violenta coactio procedit ab alio homine (61); debetque naturale coactum officium ejusmodi esse, ut alter naturaliter scire possit illud absolute, physice, ac moraliter extorqueri posse. Qui ergo in officiis Religionis implendis naturali libertati vim quodammodo inferre volunt, deberent docere, se jure a Deo concessio uti, atque hoc ipsum supernaturali revelatione demonstrare.



Sed neque *relate ad hominem* sunt coacta. Nam actio quæpiam tunc solum est officium erga Deum, si motivum ejusdem desumitur ex Dei glorificatione, atque adeo ea sit nostra de Deo cognitio, quam pro genuina sincere habeamus, & quæ vivaciter animo infideat; atqui hæc, utpote interna, & non a motivis, sed unice a veritatis fundamentis pendentia, nemo potest mortalium nosse, minus extorquere: officia igitur erga Deum ne quidem relate ad hominem possunt esse coacta. Vid. Schelle Philos. Pract. P. I. §. 113.

§. 82.

Officia erga seipsum, & alios.

Extorsio officiorum erga seipsum repugnat in terminis, nemo enim potest semetipsum cogere ad se amandum. Quare nulla supersunt alia officia coacta, quam illa, quæ ad alios referuntur, versanturque circa propria illorum bona, quæ scilicet coram tribunali externo quisque demonstrare potest ad se pertinere.


Officia erga alios erunt *perfecta*, si in iis coactio tam physica, quam moralis locum habere possit. Sunt item alia *officia humanitatis*, quorum expletione perfectio aliena promovetur, quæque *officia charitatis* vocari possunt, quatenus e charitate proficiscuntur. Quia vero amor in rationis judicio fundatur, extorqueri non potest, nec proinde etiam ipsa charitatis officia. Nondum tamen isthinc sequitur, nulla plane dari coacta humanitatis officia: demonstrari enim ante deberet moralis eadem extorquendi impossibilitas.

§. 83.

Determinatio extensionis jurium externorum.

Cum obligemur alienam promovere perfectionem, obligamur utique cuivis, quod suum est, relinquere, non tollere, non diminuere, non usum impedire. Quilibet habet *jus externum* sensu stricto ad propria. Cum enim ea ad suam pertineant perfectionem, ad quam promovendam obligatur, debet utique jus habere extorquendi, ut hæc sibi intacta relinquuntur, idque tanto etiam illato malo, quantum ad retinendum est necessarium, secus obstringeretur ad aliquid, quod aliena invidia, vel rapacitas redderet impossibile.

- 1) Si homines sapientia perfecta, & virtute præditi forent, sufficeret interna obligatio ad quavis explenda officia: cum ergo nunc ista non semper sit sat efficax, debet interdum externa accedere ad roborandam internam. Quando nam vero fieri istud debeat, patebit ex officiorum perfectorum extensione.
- 2) Si illud, ad quod mihi jus perfectum naturale competere debeat, ejusmodi tantum sit, ad quod coactio, qua contra alterum tutor, etiam moraliter possibilis est, debet alter non modo obligari ad eandem mihi præstandam, verum ipsa obligatio hæc etiam in foro externo, hoc est, ex naturæ legibus demonstrari posse. Atqui obligatio explendi officia humanitatis tantum generatim, & solum obligatio ad *officia necessitatis* potest in casibus specialibus demonstrari: quare sola officia necessitatis possunt dici perfecta.



- 3) Siquis in explendis quibusdam humanitatis officiis perfectam agnoscat obligationem, ea certe nonnisi tunc habebit locum, cum moralis horum officiorum necessitas ostensa fuerit. Totum ergo iterum rediret ad juris in naturali humano foro demonstrationem.
- 4) In casu itaque, quo imperfecta officia cum perfectis colliduntur, semper posteriora debent observari, quæ scilicet non fortiora modo habent vincula, cum sint plene determinata, adeoque certissima, nec nisi unica ratione adimplenda, cum imperfecta plures admittant modos, etiam tales, quibus nullum perfectum lædatur officium; sed etiam plura continent obligationis principia. Quod si hæc principiorum pluralitas, & inde resultans major certitudo pro obligationis vinculo non esset decretoria, totum jus naturæ foret incertum, fluctuans, & lusus Sophistarum, ac Declamatorum.
- 5) Cum imperfecta obligatio perfectæ adversatur, fit moraliter impossibilis, cessat proinde esse obligatio (58).

§. 84.

Prima externa Lex.

Lex ista: *Relinque cuilibet suum* complectitur coacta officia omnia, estque fons eorundem, & prima, ac summa externa lex inter ceteras, quæ, uti & coacta officia, se ultra eandem non extendunt, Cum porro lex quævis suum cuique tribuat, quivis habet externum ad sua propria jus, quod possit mediis omnibus necessariis quemvis stringere ad suum cuique relinquendum.

Uni-

Universe igitur non alius potest character assignari, unde adpareat malum coactionis esse legitimum, quam ejusdem ad juris usum necessitas, quæ ex adjunctis debet dijudicari: cum autem hæc ipsa in casibus specialibus admodum sint varia, fit, ut idem coactionis malum pro adjunctorum diversitate modo justum sit, modo iniquum.

§. 85.

Lex coactiva naturalis.


Eadem illa superior lex eatenus potest *lex coactiva naturalis* vocari, quatenus sine legis positivæ adminiculo evincere possumus rem quampiam ad nos pertinere, Hinc vero consurgit naturalis externa obligatio, & externa lex, quæ *lex rationis*, aut *divina* est. Ad quodcunque autem jus habemus externum, illud ad nos sensu stricto pertinet, adeoque jura nostra omnia etiam ad nos pertinent, in quorum usu nos relinquere unusquisque obligatur.

Cum Deus legum naturæ autor sit (30), adeoque leges omnes naturæ sint divinæ, etiam naturales coactivas leges necesse est divinas esse. Unde quidam Religionis propugnatores haud recte repudiant mala coactionis omnia tamquam legibus divinis adversantia.

§. 86.

Actus permissi.

Actus in foro externo *permissus* ille dicitur, qui lege externa nec vetatur, nec præcipitur: potest nihilominus prohibitus esse in foro conscientiæ, ubi nullus datur pure permissus actus. Ad illud, quod in foro externo permissum est, externe non obli-



obligamur: quare usus, & exercitium jurium nostrorum, seu complexio actionum legi consentanearum in foro externo permissa, non tamen stricta officia sunt.

- 1) Cum leges externæ neque obligationem ad omnes actiones humanas in se continere; neque omnes ad eandem actionem obligationes complecti possint (62.), legum externarum observantia, neque ad cujusvis hominis singularem, neque ad totius societatis eam, quam adipisci potest, felicitatem est sufficiens.
- 2) Officia interna, & internæ ad externa obligationes debent ex aliis derivari legibus. Ad motiva, e quibus interna provenit obligatio, pertinet etiam Religio (47.), habetque homo erga Deum etiam officia (46. 81.): Si ergo judicia practica de interna actionum moralitate mores hominis, vel gentis cujuscumque adpellare velimus, ad media externa felicitatis pertinebunt leges bonæ, cultura bonorum morum, & efficax genuinæ Religionis institutio.
- 3) Quia vero interna obligatio non semper est efficax (40), debet ejusdem efficacitas externæ adminiculo roborari. Quare quæstioni illi famosæ, debeatne depravatus, & calamitosus populus per leges, aut per bonos mores, aut denique per Religionem juvari, non aliter potest satisfieri, quam omnium horum subsidiorum sese mutuo adjuvantium copulatione.

§. 87.

Officii impletio.

Ad officii partes rite præstandas necesse est 1) ut quidquid in actione morale est, sit etiam moraliter

liter bonum. 2) Ut legibus omnibus sit proportionate consentaneum. 3) Ut sit a motivis omnibus possibilibus cum proportione determinatum. 4) Ut ad tot, quot in casu quovis particulari fieri potest, dirigatur. 5) Ut in explendo officio diligentia debita adhibeatur. Nam boni quidpiam præstare ex consuetudine, adfectu, vel temperamento, aut inefficacem duntaxat voluntatem prodere, non est officio defungi.

Observandum tamen, an, & quantum consuetudo sit effectus liberi exercitii (69), nam in tantum expletur officium, tametsi id proveniat a consuetudine. Regula hæc unice in actibus illis patitur exceptionem, qui solum per motivorum conscientiam boni efficiuntur.

SECTIO NONA.


De Virtute.

§. 88.

Notio Virtutis.

Ad officiorum institutionem refertur etiam doctrina de virtute. *Virtus* enim est habitus officia præstandi, aut legem observandi. Obligamur utique ad officia nostra crebrius repetenda, atque ad habitum quemdam in iis exequendis comparandum: quare eo ipso, quod ad officia nostra obstringamur, ad virtutem etiam obligamur.

- 1) Hæc obligationis demonstratio brevitatis causa, qua isthic in nexu proponi poterat, est adlata. Ceterum potest eadem hoc etiam pacto evinci: Potentia legibus convenienter agendi est



est bonum aliquod, cum fons boni, ut talis, ipse quoque bonus esse debeat; atqui virtus tanquam habitus est major quædam facultas legibus convenienter agendi, adeoque est majus bonum, quod consequi, quantum a nobis mediate pendet, obligamur.

2) Essentia ergo virtutis sita est in consensione cum lege naturæ. Quia vero homo totidem potest adipisci habitus, quot habet facultates, possunt comparate ad materiam plures dari virtutes: quidquid autem in quovis habitu virtutis inest, id totum consistit in consensu cum lege naturæ. Hinc formaliter nonnisi unica habetur virtus sita in memorato consensu, id quod inde magis elucet, quod ad actionem quamvis perfecte rectam omnes animæ facultates cooperari debeant (32), & quod facultates, & habitus animæ in exacta stent subjectiva harmonia, ita ut unum sine altero in gradu aliquo altiori perfectius reddi nequeat, speciatim vero habitus voluntatis sine habitibus intellectus.

3) Hinc nonnulli veterum, Peripatetici cum primis, & Stoici, virtutem in moralem, ac intellectualem tribuerunt, ac genus primum ad voluntatis, posterius ad bonos intellectus habitus retulerunt. Unde homo virtute præditus debet habitus omnes bonos hominis in gradu summo possidere. Ceterum virtuti additum vocare solemus etiam illum, qui propius ad culmen hoc ideale accedit, & illas speciatim habet virtutes, quæ ceteris habitibus momentum illud addunt, quo virtutes efficiuntur. „Quo-
„ niam vivitur non cum perfectis hominibus,
„ ple-

„ pleneque sapientibus, sed cum iis, in qui-
 „ bus præclare agitur, si sint simulacra vir-
 „ tutis, etiam hoc intelligendum puto, nemi-
 „ nem omnino esse negligendum, in quo ali-
 „ qua significatio virtutis adpareat, colendum
 „ autem esse quemquam ita maxime, uti quis-
 „ que maxime virtutibus his lenioribus erit
 „ ornatus, modestia, temperantia, ac justitia.
 „ Nam fortis animus, & magnus in ho-
 „ mine non perfecto, nec sapiente ferventior
 „ plerumque est: illæ vero virtutes virum bo-
 „ num videntur potius adtingere „. Cic. de
 Off. I. 15.

- 4) Cum virtus consistat in convenientia habituum animæ cum naturæ legibus (88. 2.), quæ rationis ope cognoscuntur, quisque virtutem esse habituum horum cum ratione convenientiam videt. Quamobrem ratio virtutis adminiculo maxime perpolitur, transit enim in ejusmodi habitum, qui 1) latissime pateat, 2) dirigatur ad illud, quod homini maximi debet esse momenti, ad ipsius nempe felicitatem, 3) viam sternat ad rectiores, magisque practicas animadversiones.
 „ In homine, ait Tullius, summa omnis ani-
 „ mi est, & in animo rationis, ex qua virtus
 „ est, quæ rationis absolutio definitur „. De
 Fin. V. 14.

§. 89.

Varia virtutum genera relate ad leges.

Quemadmodum leges, ita virtutes ad easdem comparatæ multiplices sunt. Nimirum habitus observandi leges naturales, positivæ humanas, aut christianas est virtus *naturalis*, seu *philosophica*,
 vir-



virtus civilis, aut christiana. Et quia virtus naturalis est habitus sese e norma legum naturæ perficiendi, conducit tanquam medium ad hominis felicitatem: & quia legibus divinis conformata est, injuria vocatur splendidum flagitium.

§. 90.

Justitia.

Justitia triplici potest sensu accipi. 1) (Ut est communis virtutis proprietas, cum quælibet actio conjuncta cum virtute, si quidem perfecte recta sit, debeat etiam nostræ erga alios obligationi consentanea esse. 2) Sensu magis proprio, ut est habitus exequendi omnia erga alios officia. 3) Significatione strictissima, ut est habitus suum unicuique tribuendi. Genus secundum *interna*, tertium *externa* justitia seu virtus, aut *externa honestas* adpellatur. Qui virtuti addictus, sive interne justus est, observat erga alios officia ex amore, unde leges externæ tametsi utiles, necessariæ tamen eidem non sunt. Externe justus non semper est etiam interne talis, aut virtute præditus. Habitus jura externa convenienter internæ obligationi exequendi *æquitas* nuncupatur.

SECTIO DECIMA.

De Peccato.

§. 91.

Notio Peccati.

Peccatum est actio libera repugnans officio: peccari ergo non potest, nisi in statu libertatis:

ac

ac si actio a lege devians peccatum esse debeat, necesse est, ut ab eadem non casu fortuito, sed ratione quadam morali defleat. Actio a lege præcipiente aberrans *peccatum omissionis*, quæ vero prohibentem prævaricatur, *peccatum commissionis* vocatur.

§. 92.

Discrimen peccatorum relate ad reatum.

Fungi officio minime possumus, quin debitam industriam adhibeamus, speciatim vero rationis usum, quem utpote actum liberum vel possumus distincta cum conscientia adpetere, vel repudiare, vel neutrum possumus. Qui debitam industriam, & conatum ad legitimam liberam actionem pure negligit, committit *culpam*, seu *negligentiam*: qui vero illum sponte, ac plena cum deliberatione repudiat, adeoque contrarium vult, peccat ex proposito, estque ejus reatus scelestus *prohæresis*, *dolus*, *malitia*. Hinc oritur discrimen inter peccata *prohæretica*, *dolosâ*, & inter *culposâ* e negligentia prognata.

- 1) Peccata sunt varia 1) relate ad leges, 2) ad objecta officiorum, quibus opponuntur, 3) ad gradus, & reatus speciem.
- 2) Est autem reatus imputatio ad poenam, cujus gradus definitur a libertate, quacum peccatur: major est in peccatis prohæreticis, quam in culposis; in posterioribus aestimatur a gradu, quo vincibilis erat defectus attentionis. Gradus hic solet vel ex objectivis, vel e subjectivis principiis determinari: tanto scilicet major est culpa 1) quanto majoris est momenti



menti officii objectum, 2) & major ex adverso ad idem obligatio, 3) quanto minoribus, & paucioribus actionibus eidem satisfieri poterat, 4) quanto major est interna, & externa libertas.

- 3) Actus intellectus ad actionem liberam requisiti sunt 1) Adtentio ad ipsam actionem, cujus defectus *incogitantia*, 2) perpensio consecratorum ejusdem, cujus oppositum *inconsiderantia*, 3) providentia malorum, quotquot emergere possent, consecratorum, cui contrarium *improvidentia* nominatur. Deliberatio certum requirit tempus, quod si non impendatur, incurritur in vitium *præcipitantiae*, cujus summus gradus est *temeritas*.
- 4) Gravitas peccati crescit etiam a legum transgressarum numero. Peccatum, quo externa etiam lex violatur, *delictum* vocatur, hujus vero altior gradus *crimen*, quod, cum ad summum venit, desinit in *improbritatem*.

§. 93.

Gradus malitiæ, & negligentiae.

Malitia, & negligentia complures admittunt gradus, a gradibus debiti conatus desumendos, qui eo major est, quo magis ad eum adstringimur, & quo validius est officium conatum illum deposcens. Hinc quanto majus habet momentum officium, & quanto quis magis adpetit eidem contrarium peccatum, tanto major est malitia, ac proinde crescente peccati gravitate malitia crescit: crescente vero ad illud commitendum occasione, ac invitationis, decrescit. Quanto item difficilium fuit ig-

norantiam, inattentionem & præcipitantiam vitare, tanto minus est imputabilis negligentia.

Conatus ergo debitus æstimatur etiam e gradu perfectionis, aut imperfectionis, quæ per officiorum expletionem, vel neglectum in nobismetipsis, aut in aliis procurata, vel impedita fuit.

§. 94.

Varietas peccatorum comparate ad Leges.

Cum quovis peccato una, vel plures violentur leges, genera peccatorum legum respondent generibus: dantur itaque *naturalia*, seu *philosophica* peccata contra naturæ leges, peccata *civilia* contra civiles, & *christiana* contra christianas. Potest autem unum idemque peccatum naturale, civile, atque christianum esse. Porro quodvis peccatum est quiddam illegitimum, cum moraliter cum lege haud consentiat: actus autem vetitus; quatenus legi prohibenti adversatur.

§. 95.

Flagitium.

Flagitium est peccandi habitus; flagitiosæ autem adiones peccata generatim omnia vocari nequeunt, sed ea solum, quæ e flagitio resultant. Si flagitium sensim licet increseat, ut peccatum quoddam citra advertentiam iterari possit, oritur peccandi *consuetudo*, atque peccata consuetudinis dicuntur, quæ ex consuetudine perpetrantur.

§. 96.

Gradus Peccabilitatis.

Dantur ego innumeri peccabilitatis gradus, quorum principia determinativa sunt, 1) gradus moralis



ralis imperfectionis in actionibus liberis. 2) Numerus, & momenta legum peccato violandarum, 3) magnitudo negligentiae, aut malitiae, quacum peccatum committitur, 4) difficultas victoriae, qua ignorantia, vel error, unde peccatum nascitur, superari possit. 5) Gravitas officii peccato contrarii. Unde erronea est opinio peccata omnia aequalia esse.

- 1) Haec de peccatorum omnium aequalitate obmotam controversiam non est nullius plane momenti in legislatione relate ad poenas definiendas, & iudicium de magnitudine, & duratione poenarum divinarum ferendum.
- 2) Stoici defendebant peccata universa omnia aequalia esse. Eorum argumenta hunc in modum exequitur Cicero Paradox. 3. „Una virtus est consentiens cum ratione, & perpetua constantia Nihil huic addi potest, quod magis virtus sit; nihil demum, ut virtutis nomen relinquatur. — Sequitur igitur, ut etiam vitia sint paria, siquidem pravitates animi recte vitia dicuntur. Atqui quoniam pares virtutes sunt, recta etiam facta, quando a virtutibus proficiuntur, paria esse debent; itemque peccata, quoniam ex vitiis manant, sint aequalia, necessesse est, . Idem in Qu. Tusc. ait. „Omnia peccata esse paria, „ omne delictum scelus esse nefarium, nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam qui patrem suffocavit, . Haec ille e mente Stoicorum.
- 3) Verum facile refellitur haec scholastica opinatio. Non enim omnia peccata sunt conjuncta

Quia cum malitia (95): quare neque virtutes, neque vitia sunt sive ut habitus, sive relate ad suam moralitatem paria: igitur nec peccata sunt inter se æqualia, sed possunt tam ratione reatus, quam ratione moralitatis plurimum differre.

§. 97.

Adplicatio notionis peccati ad actiones liberās.

Notio Læsionis; Justitiæ.

Peccatum aut ex toto, aut ex parte duntaxat est peccatum, prout scilicet omne illud, quod in eo liberum, etiam moraliter malum est, aut contra. Ille ergo actus peccati nomen sibi jure vendicat, in quo, quidquid morale inest, maxima ex parte vitiosum est. Actio ceteroquin legitima potest nonnullas habere peccaminosas determinaciones, propter quas tamen, si recte velimus loqui, peccatum dici haud potest.

Læsio sensu laxiore est quodvis peccatum comparate ad objectum, cui officium peccato contrarium præstandum erat. Strictiori vero significatione est peccatum officio erga alterum oppositum. Et siquidem opponatur charitatis officio *interna*, si externo cuiusdam, *externa* dicitur, & hæc adpellatur proprie genuina læsio.

- 1) Læsionis igitur erga Deum notio peccatis non nisi sensu maxime generali potest adtribui, in quantum nempe quodlibet peccatum adversatur naturali cuidam legi, & obligationi, adeoque legi quoque divinæ, & officio Deo debito.
- 2) Officia nostra erga Deum omnia obligationem suam trahunt a motivis e nostra unice

E

uti-



utilitate depromtis: nequit ergo neque in eorundem expletione, neque in neglectu imputatio desumi a perfectione, vel imperfectione, quæ per eam objecto conciliatur (93).

Per læsionem proprie sumtam 1) vel tollitur alteri, quod suum est, vel 2) diminuitur, vel 3) usus juris impossibilis redditur. *Injustitia* latius accepta est habitus peccandi contra alios, seu eos lædendi. *Interna* erit, si charitatis officiis, *externa*, seu proprie talis, si officiis coactis opponatur.

SECTIO UNDECIMA.

De Statibus moralibus externis

§. 98.

Notio ejusdem.

Status moralis consistit in congerie determinationum moralium tam mutabilium, quam immutabilium. *Externæ* autem determinationes morales sunt jura & officia statum quemvis moralem externum definiunt: ubicunque ergo hæc diversa sunt, necesse est statum quoque moralem externum diversum esse, & vicissim. In generali Philosophia practica illi tantum considerantur status morales, qui per jura, & officia nonnisi generatim determinantur.


Status moralis, cujus determinativa sunt jura, & obligationes naturales, aut quæ eidem ex jure naturæ adveniunt, est status *naturaliter* moralis, cui opponuntur status tam pure *arbitrarii* a jure naturæ haud determinati, quam *innaturales* eidem contrarii.

§. 99.

Societas generatim. Civilis speciatim.

Personæ plures ad scopum quempiam adsequendum conspirantes constituunt *societatem*, eamque vel *simplicem*, si personæ conientientes singulares sint, vel *compositam*, si societates ipsæ conspirant, ubi si finis propositus tranquillitas, securitas, & vitæ humanæ sufficientia fuerit, *societas civilis*, aut uno vocabulo *civitas* adpellabitur, cujus *membra* erunt personæ eandem constituentes.

- 1) Vox *societas* proprio isthic sensu sumitur. Aristoteles latius eandem usurpavit, cum hoc nomine quamlibet virium ad commune quodpiam opus conspirationem insignivit, tametsi membra cujusdam societatis non essent in statu opus hoc commune pro intentione habendi: hinc vocat etiam animalia quædam *socialia*, quæ a solitariis, & gregariis distinguit: unde hominem animal *socialia rationale* adpellat. Societas animalium socialium posset fortasse *analogum societatis* convenienter nuncupari.
- 2) Vitæ humanæ *sufficientia* vertitur in abundantia rerum omnium ad hominis necessitatem, commoditatem, voluptatem, & felicitatem pertinentium.
- 3) Res est momenti non minimi scopum civilis societatis adcurate, atque diligenter definire, cum hinc pendeat jurium, & officiorum societatis civilis extensio. Qui finem civitatis unice restringunt ad securitatem, seque ad historiam provocant, permutant motiva initæ societatis civilis cum ejusdem fine.



Varius hominis status.

Si non aliæ spectentur in homine determinationes, quam quas cum brutis animantibus communes habet, censetur idem in *statu animali* esse. Sin autem illæ spectentur, per quas a brutis discernitur, consideratur in *statu humano*, eoque vel *societatis*, vel *naturæ*, prout scilicet vel ut membrum alicujus societatis, adeoque cum juribus, & officiis inde resultantibus, vel sine his spectatur.

- 1) Ex hac status naturæ definitione patet hominem in eodem non posse considerari sine omni jure, & obligatione, verum sine ulla duntaxat, quæ ex fine societatis consequitur. Nam ex essentia, & natura hominis, rerumque ceterarum redundat 1) obligationes tam primitivæ ex ejusdem essentia, & natura fluentes; quam derivatæ ex aliis obligationibus promanantes: 2) jura connata, & quidem etiam perfecta, quibus perfecta respondent officia. Habet igitur homo in statu naturæ perfectas obligationes, & jura, & status hic nequaquam est status licentiæ, atque effrenatæ libertatis.
- 2) Contrarium docet Hobbeseus dicendo: „Leges naturæ tunc solum obligant in foro externo, cum observari cum securitate possunt, quod cum e mente ejusdem fieri nequeat, nulla datur naturalis erga alios obligatio, cui cuilibet alia fortior erga seipsum opponatur. De Civ. c. 3. §. 27, & c. 5. §. 1.
- 3) Status, in quo nulla adesset obligatio, brutalis foret, non humanus. Ut primum enim rationis usus supponitur, non potest non supponi

ni etiam perspicientia connexionis certarum determinationum moralium cum essentia, & natura hominis, aliorumque entium. Hinc Hobbesianus naturæ status brutis solummodo convenit.

- 4) Cum in ipsa etiam communione primæva ante proprietatis introductionem obligemur cuius externa sua relinquere, nec ullum in usu rerum necessario impedire, nemo vel in illa jus habet ad omnia: non ergo competit unicuique ad bellum jus, sed illi solum, qui hac ratione læsus est.

§. 101.

Obligatio ad socialitatem.

Dantur in statu naturæ naturales obligationes, & jura (100. 1.), quibus satisfacere longe perfectius possumus cum alieno adjumento, quam sine illo: igitur obligamur vitam in civili societate agere.

- 1) Obligatio ista luculentior erit, si perpendatur hominem non amplius in statu integritatis, seu in ejusmodi conditione vivere, in qua naturæ leges unice propter obligationem internam observentur, sed ab hac vitæ simplicitate, quæ solis ad vivendum necessariis definiebatur, vehementer degenerasse, inque talem vitæ rationem transiisse, ubi eidem plures necessitates ad plures prætensiones, & corruptiones suppeditant occasionem. Quando itaque lex naturæ non servatur amplius propter suam internam obligationem, necesse est, ut defectum efficaciam internæ hujus obligationis civilis societas per externam suppleat.



- 2) Non habent homines 1) omnes, nec ullus habet constanter incitamenta alteri sua rapiendi, aut in libero rerum suarum usu impediendi: imo pauciora suppetunt hujusmodi motiva in primitivo naturæ statu. 2) Habent homines in statu naturæ generatim internam & externam obligationem leges naturæ observandi. 3) Possunt in statu naturæ motiva habere ad actiones sociales: non est ergo status naturæ tantopere imperfectus, ut eum Hobbesius depingit; non est status belli omnium contra omnes neque de jure, neque de facto.
- 3) Ex adverso 1) continent leges civiles certa motiva externa ad legum naturæ observantiam: suppetunt ergo in civili societate plura incitamenta legis naturæ observandæ. 2) Habemus facultates, quæ magis possunt excoli in societate: necessitates, quibus societas magis subvenire potest; voluptates, quibus nonnisi in societate possumus frui: status ergo naturæ non est tam perfectus, quam Rousseau esse defendit.
- 4) Quicumque igitur contenderet se extra societatem ad eam, quam posset, pervenire posse perfectionem, & felicitatem, deberet vel esse plane ineptus ad societatem, vel ex sibi ipsi sufficientia eadem non egere, ac proinde brutum, vel Deus esse. Arist. Polit. I. c. 2.

§. 102.

Status sociales.

In societate constitutus homo vel consideratur sine determinationibus eidem ut civi convenientibus, vel una cum illis: status ejus prior est *socialis*

lis naturalis, posterior *civilis*. In statu porro civili vel spectantur peculiare, atque actuales determinationes, quibusdam tantum civibus, vel omnibus univere communes; prior est *peculiaris*, posterior *naturalis* status civilis: hinc prior posteriore, & hic pure naturali est determinator.

§. 103.

Duplex naturæ status.

Status naturæ dupliciter potest venire in considerationem, scilicet vel ut pure civili, vel generatim ut cuius statui sociali opponitur: prior *conditionatus*, posterior *absolutus* naturæ status consuevit dici. Jura ad priorem pertinentia sunt ipsa etiam conditionata.

- 1) Duplicem hanc status naturæ significationem jam ipse distinxit Puffendorfius in Diff. acad. selectis.
- 2) Prior naturæ status idcirco vocatur conditionatus, quod etiam per jura, & officia societatem quamquam supponentia determinetur: nequit autem societas nisi per expressum, vel tacitum pactum, adeoque per aliquod factum coalescere, cujusmodi status solemus conditionatos nominare.

§. 104.

Varietas status naturæ relate ad personas, & suas restrictiones.

Absolutus naturalis status vel est status naturæ *singularium personarum*, in quo scilicet personæ singulares degunt: vel est status naturæ *integrarum*



societatum, in quo societates integræ vivunt. Prior autem vel restringitur in homine, qui nullum alium determinatum, vel in homine, qui alium præterea habet statum determinatum.

§. 105.

Quæsitæ statum moralem externum adtinentia.

Cum de statu naturæ generatim sermo est, semper absolutus intelligitur. Debet ergo 1) status hic discerni a statu naturæ in sensu theologico. 2) Non debet statui morali contraponi, nec 3) pro magis naturali, quam socialis, reputari. Hinc ad quæsitæ sequentia 1) Datur ne restrictus naturæ status? 2) Possunt ne singulares homines in adjuncta sæpe incidere, in quibus sic debeant agere, quasi in statu naturæ essent? 3) Daturne status naturæ integrarum societatum? ad hæc, inquam, quæsitæ respondendum est adfirmando; negando contra si quæretur 4) an possint inveniri homines in absoluto, & irrestricto naturæ statu singulatim viventes?

- 1) Dissidentibus autorum opiniones, utrum naturæ, an socialis status sit homini naturalior, ortæ sunt ex ambiguitate, & multiplici sensu vocis *naturale*, quod si artificioso opponatur, idemque sonet, quod pure naturale, seu naturaliter necessarium, nos statum illum vocamus naturalem, qui nullam supponit liberam personæ alicujus actionem. Cum itaque socialis status pactum quoddam, ac proinde liberæ actiones hominum in societatem coeuntium supponat (103. anim. 2.), hoc sensu status naturæ non est naturalis, sed artificiosus.

2) Pro-

- 2) Propterea tamen status socialis non erit *innaturalis*, si hoc verbo id significetur, quod hominis, ceterorumque entium essentiae, atque naturae, ac proinde etiam voluntati Dei contrarium sit: socialitas enim non naturae modo est conveniens, sed nos ad seipsam etiam obligans (101. anim. 1. 3.). Ex hoc eodem fonte derivavit Aristoteles status socialis naturalitatem Polit. I. 2.

§. 106.

Morales disciplinae.

Secundum explicatas hactenus jurium naturalium, officiorum, ac legum, ad quas ea referuntur, varietates solet Philosophia Practica (1.) in varias tribui disciplinas subordinatas; & scientia quidem perfectarum naturae legum, seu Jus naturae latiore sensu 1) in statu naturae est *Jus naturae* sensu strictiore: 2) in statu sociali est *Jus sociale*. Scientia vero legum naturae imperfectarum 3) in statu naturae est *Ethica*, seu *Morum Philosophia*; 4) in statu societatis minorum societatum est *Oeconomica*: in statu reipublicae *Politica*, seu *Prudentia statistica*.

- 1) Juri sociali subordinatur *Jus publicum universale*, tanquam scientia perfectarum naturae in societate civili.
- 2) Autores alii in jure naturae etiam imperfecta jura, & officia pertractant, & apud hos Philosophia morum tradit usum facultatum animae ad actiones nostras legibus naturae conformandas necessarium. Haec dividendi ratio longissimi temporis est, potestque multis de causis per-



perutile esse, ut jus naturæ cum hac doceatur extensione, cum restrictio ista perfectorum officiorum per imperfecta in vita humana passim occurrat. Cum nihilominus rationalis morum Philosophia scholasticas has separationes non transferat in humanam vitam, potest facta a nobis dividendi ratio citra detrimentum retineri, atque ita usus facultatum animæ nostræ tanquam medium officia nostra explendi, & ipse tanquam officium imperfectum considerari, cujus ope facultates animæ ad morales habitus, adeoque ad virtutem elevantur, cujus adminiculo homo suæ naturæ obligationi convenientius potest agere.

SECTIO DUODECIMA.

Historia Moralium Disciplinarum.

§. 107.

Scopus hujus Historiæ

Historia moralis duo potissimum complectitur capita. 1) Ipsam moralium judiciorum, 2) methodi pertractandi historiam. Ambo hæc varia subierunt fata. Priorum numerus non idem semper, sed neque pertractandi methodus eadem fuit.

- 1) Notionum moralium, & judiciorum inter homines historia optime refellit objectiones adversus Juris naturæ realitatem, quæ in hoc fundantur ratiocinio: si homines tam singulatim quam integri populi sibi in gravissimis veritatibus moralibus contradicunt, nullum est naturale jus: atqui &c. „Ejus (Carneadis) disputa-

„ sputationis summa hæc fuit, jura sibi homi-
 „ nes pro utilitate sanxisse, scilicet varia pro
 „ moribus, & apud eosdem pro temporibus
 „ sæpe mutata: jus autem naturale esse nul-
 „ lum,,. Laet. Div. Inst. L. 5. c. 16. n. 3.


- 2) Hæc notionum, & judiciorum moralium hi-
 storia est pars historiæ naturalis statum mora-
 lium internorum, ac externorum, & cum his
 connexæ felicitatis humanæ, seu est humanita-
 tis ipsius historia.

§. 108.

Jus naturæ objectivum, & subjectivum.

Cum actiones omnes interna sua moralitate
 gaudeant, datur *Jus naturæ objectivum*, a quo *sub-
 jectivum* ea re differt, quod hoc in moralitatis ipsius
 cognitione versetur. Cumque essentia hominis, at-
 que ceterorum entium sit fons hujus cognitionis,
 tantum cognoscitur ex moralitate, quantum ex ho-
 minis, ac ceterorum entium essentia, cumque hac
 connexis moralibus determinationibus comprehen-
 ditur. Hæc autem comprehensio e gradu intelle-
 ctus determinatur. Hinc nequit e defectu Juris na-
 turæ subjectivi concludi ad objectivum. „ Declara-
 „ tur autem studium bellicæ virtutis, ut Cicero lo-
 „ quitur, quod statuas quoque videmus ornatu fe-
 „ re militari,, De Off. I. 18.

- 1) Duo hæc adserta: Jus naturæ homini est in-
 genitum: & : cognitio juris naturæ est eidem
 innata, multum inter se differunt: primum
 enim significat ex hominis essentia, & natura
 consequi certas originarias obligationes, &
 connata jura: altero contenditur inesse in ho-
 mine



mine claram obligationum, & jurium horum ingeneratam cognitionem.

- 2) Dantur *primitivæ*, & *derivatæ* naturæ leges: priores sunt immediata consecutaria e natura, & essentia hominis promanantia: posteriores mediate duntaxat ex originariis naturæ legibus resultantes.
- 3) Interna igitur experientia debet unusquisque naturam suam nosse discere, atque deinde attentionem ad ejusdem comprehensionem dirigere; ita ope notionum intellectu abstractarum deteget moralem necessitatem certarum actionum liberarum, & naturæ legum, idque tanto magis, quanto melius intellectu suo utetur.

§. 109.

Moralis horizon, ejusdemque limitationes.

Moralis horizon definitur ex parte tam intellectus, quam voluntatis. Ad primum quod adinet, morale judicium est sententia de moralitate, quæ transit in moralem veritatem, vel theoremata, si verbis exprimat. Ambitus ejusdem constituit *moralem spheram*, seu *horizontem* cujusvis hominis, vel societatis. Veritas moralis theorematis cognoscitur e naturæ legibus ex hominis, atque aliorum entium essentiis, & proprietatibus derivatis. Actus igitur pro legitimo, vel illegitimo reputatur, prout nimirum veræ naturæ leges, earumque obligandi principia cognoscuntur, quod cum solum a recta, & plena essentia, naturæque humanæ, atque ceterorum entium cognitione dependeat (108), etiam momentum, & absolutio moralis horizontis cujusvis singularis hominis unice ingenii expolitioni respondet.

Ex

Ex parte voluntatis 1) homo fere illas tantum æstimat proprietates, quarum intuetur utilitatem, 2) nec se subjicit virium suarum contentioni, aut moderationi, nec rejicit amoena, & adsumit molesta, nisi quantum morali, vel physica constringitur necessitate. Si ergo dari status possit, in quo homo utilitatem certarum moralium proprietatum, & certarum moderationum virium suarum perspiciere haud possit, primum non æstimabit, alterum non admittet.

§. 120.

Horizon moralis originarius.

Generis humani evolutio ad finem est cujusvis hominis singularis explicationi: incipit adeo a sensibus. In statu, quo quis pure sensu ducitur, nullam adhuc habet juris, aut officii notionem. Quare 1) fortior nulla retinetur obligatione, quo minus opprimat debiliorem. 2) Cum facultates animi non sint satis excultæ, nihil nisi vires corporis magni facit.

1) Cum plures conveniunt homines ob sociales illecebras, custodiunt tranquillitatem non tam obligationis internæ incitamento, quam e naturali quodam stimulo. „Eadem natura vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationis, & ad vitæ societatem,„ Cic. de Off. I. 4.

2) Ob hanc vitæ communionem nondum constituunt homines societatem (99): illa tamen ad hanc suppeditat occasionem Pulchre Cicero: „Atque ut apum examina non fingendorum favorum causa congregantur, sed cum congregabilia natura sint, fingunt fa-

„ vos:



- „ vos : sic homines , ac multo etiam magis ,
 „ natura congregati adhibent agendi , cogi-
 „ tandique solertiam „ . Cic. L. I. de Off. n. 44.
- 3) E conventionē tacita , quæ verifimiliter fundamētum est societatis , oriuntur certa jura , atque officia mutua (102) , quemadmodum ad consequendum finem quædam requiruntur qualitates , quibus hoc titulo dignitas quædam adtribuitur . Cumque finis societatis ejusmodi non esset alius , quam qui viribus corporis obtineri possit , nec aliæ , quam hæ , forent in pretio .
- 4) Et quia neque societatis stimulus (anim. 1.) , neque obligatio ex eadem resultans (anim. 3.) sese ultra angustum societatis hujus ambitum extendit , nemo sociorum ullum agnoscit officium erga alios , quam qui in hoc ambitu comprehenduntur .

§. 121.

Ejusdem dilatatio.

Passus evolutionis hujus est usus certi prudentiæ gradus , a qua rudis homo astutiam nondum discernit . Hic sentit ille ex obligationis erga societatem vinculo posse debiliores adversus fortiores defendi , & quodvis peculiare societatis membrum ad certam socialem vivendi rationem cogi ; & totius imperium singulari cuique membro proficuum esse . Hinc exurgit vinculum omnibus partibus commodum , ponitque societatis civilis fundamētum .

- 1) Societas regionem , in qua vivit , quæque eidem domicilium , atque nutrimentum suppeditando opportuna est , ut sibi propriam spectare ,

etare, hoc est, indidem alios excludere. Atque hæc sunt initia ideæ fundorum proprietatis.

- 2) Sub hac, quam adtulimus, consideratione potest ex vero dici citius coepisse in animis hominum operari fontes unionis, quam hostilitatis (101. anim. 2.) ipsam tamen consociationem posse præbere originem inimicitiiis erga illos, qui non pertinent ad societatem.
- 3) Notio ista proprietatis crescit 1) constantia inhabitationis, 2) certitudine alimentorum e piscatu, venatione, cultu pecorum, & agricolatione pro vivendi scilicet varietate, 3) labore fundis colendis impenso.
- 4) Tria hæc fundamenta concurrunt in agricultura ad complendam proprietatis notionem. Cum ergo agricultura 1) defensionem proprietatis viribus societatis procurandam reddat necessariam, 2) plures requirat artes in societate necessarias, 3) producat necessitates, quibus nonnisi per artes, adeoque conspiratione plurium satis possit fieri, patet agricolationem validum esse ad societatem, præsertim civilem incitamentum (101). Hoc medio fuit Numa usus ad feros Romanorum mores cicurandos. Plutar. in ejusd. Vita.

§. 122.

Origo legum civilium, & legislationis.

Primæ justitiæ externæ leges acceptatæ fuerunt a subdito quidem pacis conservandæ causa: ab imperante autem, ut acquisitis, pacifice fruatur. Leges hæ ab illis erant primum perspectæ, ac propositæ, qui ceteris ingenio, experientia, atque ætate præ-



præstantiores suspiciuntur, & observandi, quid societati proficuum sit, in statu sunt. Sic evolvuntur jurium, & officiorum notiones, ac officia consequuntur internam suam obligationem 1) sua ad tranquillitatem publicam utilitate, 2) securis, & variis inopiæ sublevandæ rationibus, 3) Religione, tanquam fulcro societatis validissimo.

§. 123.

*Primæ naturæ leges in civilibus codicibus,
earumque imperfectio.*

Itaque primæ naturæ leges continentur in legibus civilibus, quæ sunt moralium inter cives judiciorum fontes. Unde legislatores erant primi Juris naturæ magistri. Cum vero fieri possit, ut hi 1) ipsi vel sufficientem jurium naturæ non habeant cognitionem, vel 2) qui eandem habent, nondum possint adplicare propter ruditatem populi nolentis restringi libertatem suam per leges, quarum non perspicit necessitatem, necesse est, ut principio tam leges ipsæ, quam earundem obligandi modus, & extensio admodum imperfecta fuerint.

§. 124.

Primum generale Jus naturale.

Prima fuit in Græcia Platonis Schola, quæ 1) leges naturæ e genuinis earundem fontibus, nimirum e natura hominis, atque ceterorum entium deduxit, & hoc ipso 2) notionem virtutis latius extendit, 3) obligationem leges naturæ servandi tanquam commune hominis officium docuit. Sectæ quædam philosophicæ in primo principio idcirco dissen-

diffenserunt, quod perfectionis humanæ notionem variæ restrinxerint.

§. 125.

Imputationis progressus.

Gradus reatus multiplices sunt: ejusdem vero determinatio deposcit accuratam moralitatis actionum dijudicationem, adeoque gravitatis peccati in seipso, & imputabilitatis discussionem. Cum ergo iudicium istud notabilem in usu rationis requirat gradum, etiam imputandi justitia sensim fuit perfecta, quod quidem ipsa etiam confirmat historia. Nam Philosophi, qui Jus naturale in systema quoddam redegerunt, hanc etiam partem multum perpoliverunt. Jus Rhadamanticum valuit etiam post legislatores e schola Pythagoræ prodeuntes: primum Plato, & Aristoteles rite enodarunt principia, in quibus omnis poenarum justitia vertitur. Arist. Eth. V. 5.

§. 126.

Methodus.


Methodi, quibus initio veritates morales proponebantur, erant 1) leges civiles, 2) emblemata, 3) ænigmata, 4) Fabulæ, 5) symbola, dum rursus denique inciperet Schola Platonica morales disciplinas in scriptis propriis connexius proponere. Romani tam in suis legibus, quam scriptis moralibus Græcos sunt sequuti. Ab exordio Christianitatis doctrina moralis tanquam pars Religionis coepit doceri, ac serius fuit a dogmatica Theologia separata. Jus naturæ Grotius non proposuit tanquam scientiam specialem, & morum Philosophia tradebatur ex Aristotele, ac ejusdem interpretibus.

F

1) Jam



- 1) Jam ante Grotium scripsit Benedictus Winkler, sed adjuncta temporum impediverunt, quominus ejus opus, ut ut pro ætate illa solide concinnatum, ad attentione dignum videretur esse. Ante illum fons totius jurisprudentiæ fuit unice codex Romanus.
- 2) In Anglia Thomas Hobbesius dedit occasionem morales disciplinas methodo peculiari pertractandi; cum enim omnem naturalem obligationem, adeoque omnia officia socialia repudiaret, erant, qui contra eundem demonstrarent necessitatem internæ actionum moralitatis, ac proinde etiam officiorum socialium ex ipsa hominis, ceterorumque entium essentia, & natura.
- 3) Alii experimentalem Baconis methodum in Anglia tantopere acceptam e Physica ad morales disciplinas traduxerunt, detexeruntque in homine ingenitum quemdam moralem sensum, cujus ope homo etiam moralitatem actionum socialium tam suarum, quam alienarum sentire possit, ac reapse sentiat, una cum stimulo ad similes actiones, & in iisdem, sive deinde suis propriis, sive alienis oblectatione.



— — — — —

P A R S II.

P R A C T I C A.

— — — — —

S E C T I O P R I M A

De officiis erga Deum, seu officiis Religionis.

C A P U T I.

De Religione interna.

§. 127.


Epitome, & divisio Ethicæ.

Philosophia Morum, seu Ethica est scientia internorum officiorum in statu naturæ, in quo homo præter officia status communis habet insuper explenda alia, quæ ad status peculiare, in quibus unusquisque est positus, referuntur. Generalis Ethicæ pars, quam isthic pertractandam sumimus, potest secundum tria officiorum nostrorum objecta in totidem partes aptissime tribui, quarum prima complectatur officia erga Deum seu Religionem, secunda erga nosmetipsos, tertia erga alios homines.

§. 128.

Notio Religionis, & ad eandem obligatio.

Plenior perfectio Dei cognitio est ejusdem gloria: obligatio gloriæ divinæ cum bona voluntatis



tatis intentione tanquam motivo est *gloriæ divinæ illustratio*, seu *cultus Dei*. Gloria, & ejusdem illustratio *Religio* dicitur. Perfectior Dei cognitio conciliat nobis perfectionem, cum secus foret mala: est nobis igitur bona, nosque ut finem perficit: obligamur proinde ad eandem. Atque istud est, primum ad Religionem incitamentum.


- 1) Obligatio hæc jam aliter etiam fuit demonstrata: ac licet in illis demonstrationibus Dei cognoscendi obligatio immediate haud contineatur, mediate tamen continetur. Cum enim ad observandam naturæ legem e motivis a divinis proprietatibus desumptis obligemur, & hæc naturalem obligationem roborare, complereque debeant, necesse utique est nos etiam ad divinarum harum proprietatum cognitionem obligari.
- 2) Si quis determinare velit, de quam Religiois parte sit sermo, discernere debet theoreticam, & practicam Religionem.

§. 129.

Alterum obligationis erga Religionem fundamentum suppeditat ipsa nostra felicitas, & delectatio; quidquid enim ad hanc vere conducit, una promovet Religionem, cum per incrementum verorum physicorum bonorum, hoc est, prosperitatem, & bonorum moralium augmentum, seu per nostram beatitatem crescat Dei gloria, atque adeo etiam Religio (128) promovens nostram felicitatem, augensque hoc ipso nostras perfectiones, & hinc etiam sinceram delectationem, siquidem intuitus harum perfectionum paulo vividior fuerit. Est ergo

ergo Religio fons gratissimarum sensuum, cum sit vivida cognitio 1) objecti perfectissimi, 2) nostræ propriæ per hoc ipsum provectæ perfectionis, obligamur igitur ad Religionem.

- 1) Quare injuriam facit Religioni, qui illam, tanquam inimicam puræ voluptatis, proponit, quæ cum naturalem obligationem confirmet:
 - a) Voluptates sensuales non ita prohibet, quemadmodum oblectationis gustus, & phantasiæ, sed obligat duntaxat, ut in earundem usu nos naturæ legibus conformemus, unde purgat Religio sensuales etiam voluptates, atque transformat.
 - b) Roborat præterea obligationem actionum socialium, atque ita auget oblectamenta e consortio sociali redundantia.
 - c) Auget item cumulum voluptatum ope illarum, quæ ex officiorum erga Deum impletionem resultant, quæ partim ad intellectum, partim ad cor pertinent: atque hoc intuitu Religio in se ipsa fons est purissimarum voluptatum; esse autem fons etiam mediate dici potest, quatenus tuetur virtutem tanquam fontem veræ voluptatis. Atque istud quoque potest esse ad Religionem, atque pietatem invitamentum.
- 2) Defixio adtentionis ad summas Dei perfectiones, earumque ad mundum hunc relationem *pietas* adpellatur. Quare cum e vivida perfectionis cognitione delectatio promanet, pietas fovet voluptatem omnium præstantissimam, cujus fontes peculiare sunt:
 - a) In objecto suapte magno, atque sublimi, e cujus vivida repræsentatione nascitur *revel-*



rentia; cujus opera magna, & excelsa provocant *admirationem*; quod seipso beneficium est, ac idcirco non reverentiam terroris, sed amoris, & *gratitudinis* inspirat, cujus denique facta utilia, pulchra, & contemplanti peramoena sunt, cum primis si ad auctoris sui bonitatem, atque sapientiam referantur:

- b) In nobismetipsis, in persensione propriae nostrae perfectionis tam intellectus, & cordis, quam ejus, quae cum hac animi nostri occupatione immediate connexa est, quaeque inde mediate sequitur, qualis est a metu superstitioso liberatio, & virtutis, quae pietate firmatur, felicitas.

§. 130.

Postremum ad Religionem illicium est officiorum allevamentum: non enim obstringimur ad Religionem ipsius tantummodo solius, sed etiam officiorum nostrorum reliquorum gratia. Debemus nempe officiorum nostrorum exequisitionem alleviare, quantum possumus: alleviamus autem motiva ad eadem praestanda multiplicando, id quod efficit Religio: — sumus adeo hoc quoque ex capite ad Religionem adstricti.

- 1) Cum ergo Religio efficere debeat, ut naturali nostrae obligationi facilius obsequamur, obligationem hanc jam supponit Religio, & actiones eidem conformatae idcirco vertuntur in actus Religionis, quod Deum obligationis hujus autorem esse agnoscamus, quam ille ad suam glorificationem vult, & quod viva haec agni-

agnitio tanquam motivum cum ceteris in nostram voluntatem agat.

- 2) Addere huc possumus 1) quod pietatis oblationes sint propriae intellectus, & cordis voluptates (129. anim. 2.), quarum consuetudine enervatur propensio ad sensuales voluptates, 2) quod homo devotus bona invisibilia discat aestimare, ac proinde longe rectius sciat bonis terrenis pretium ponere, & in propriorum emolumentorum consecratione nobilem quemdam modum tenere.
- 3) Atque hinc facile quisque videt, quantam habeat vim in publicam virtutem Religionis diminutio, quæ quidem cogitatio majoris erit momenti, si perpendatur, a plurimis mortalium nonnisi positivam agnosci positivæ Religionis obligationem.

§. 131.

Pietas, Impietas.

Religio quatenus pura animæ actio est, *interna* vocatur. Actiones autem, quæ partes ejusdem efficiunt, sunt *piæ*, seu latiore sensu *actus religiosi*, vel officia erga Deum. Adstringimur ad pias actiones, igitur etiam ad earum habitum, qui *pietas* adpellatur. Actus liberi piis contrarii sunt *obscurationes divinæ gloriæ*, ac eorum habitus dicitur *impietas* sensu latiore.

- 1) Cum pietas motiva ad actiones legi naturæ consentaneas ex ipsis Dei adtributis desumat, jam supponit legis cognitionem, nec supplet proinde defectum convenientiæ actionum cum eadem.



- 2) Similiter supponit perfectam Dei cognitionem, ut scilicet ejus adtributi cognitionem, unde motiva ad quemlibet virtutis actum specialem depromuntur, cum eodem connectat, uti & officia erga Deum cum aliis officiis, quæ pariter connecti debent. Unde non quævis vaga, & obscura Dei perfectio pium reddit unumquemque actum.
- 3) Igitur Dei glorificatio ad pietatem pertinet, cum e bonis actionibus, quibus incitamenta Dei cognitio suppeditat, perfectiones divinæ immediate, ac proinde melius possint agnoscī. Homo autem ut talis, seu ut creatura glorificat Deum necessario: libere contra ut pius, atque virtute præditus homo: Unde pietas est absolutio, & complementum perfectionis ejusdem, cum eundem aptissimum reddat promovendæ Dei gloriæ, quam ad rem idem etiam ceteroquin ut creatura, ut homo, ut virtuti addictus idoneus est. Necessaria gloriæ divinæ manifestatio est generalis, libera specialis; specialissima, cum Dei cognitio verbis, atque scriptis propagatur.
- 4) Est ergo homo indignissimum civitatis Dei membrum, indignissimus concivis, si verbis, & scripto, si pravis actionibus ultimo creaturarum fini adversatur, solaque essentiali sua perfectione Deum glorificat: minus item dignus, si illum per virtutem sine pietate; dignissimus, si pietate glorificaverit.

Veritas cognitionis Dei.

Ad primum Religionis internæ caput, manifestationem scilicet divinæ gloriæ, rite explendum necesse est cognitioni, quam de Deo habemus, omnem, cujus humanus intellectus capax est, perfectionem conciliare. Debemus ergo imprimis de veritate ejusdem solliciti esse. Veritatis cujusvis cognitio adjumentum est ad augendam ipsius Dei agnitionem. Igitur ad veritatis cujusvis cognitionem possunt desumi motiva e divina gloria: hinc studium omne, ac doctrina ad Dei glorificationem est referenda.

- 1) Quævis cognitionum nostrarum seu ratione, sive experientia hausarum dilatatio, & adcuratio est simul cognitionis, qua Deum apprehendimus, dilatatio, & adcuratio. Noster enim intellectus non modo utili quavis cognitione redditur perfectior, & ad alias quoque perceptiones aptior, sed veritas quævis in se ipsa est accessio quædam ad Dei cognitionem: veritates nempe rationis, quatenus puram illam, quæ ratione procuratur, Dei cognitionem dilatant, & comprobant: veritates autem experientia comparatæ in Physica occurrentes, quatenus nos docent melius pèrnoscere mundum hunc, ejusdemque autorem Deum. Imo ipsæ quoque veritates Mathematicæ intellectum illustrantes, atque utriusque generis cognitiones perficientes idoneæ sunt ad dilatandam, & comprobandam Dei cognitionem.
- 2) Consideratio ista plena in luce ponit scientiarum dignitatem, & pretium, ac simul ostendit



dit finem, ad quem dirigendæ sint, ut hominem, quantum fieri potest, nobilitent. Modum præterea commonstrat, quò ad rationabilem theoreticam Religionem intellectus optime formari possit. Quævis institutio rationi conformata est simul etiam eruditio Religionis.

§. 133.

Errores in Religione.

Cavendi erunt igitur errores omnes, & ignorantia vincibiles, quæ in Theologia naturali solent adduci. Huc pertinet 1) ut inficetas omnes Dei notiones, 2) judiciorum in rebus Religionis præcipitantiam, 3) sophisticas argutias, seu conatum alios occultis, & fallacibus argutationibus ad quidpiam impellendi, sedulo vitemus: contra vero conemur genuinam nobis procurare Dei cognitionem, quod est vera in Religione *Orthodoxia*.

Sub inficeta, seu crassa Dei cognitione intelligimus omnes sensuales, hoc est obscuras, & confusas notiones. Realitates adparentes, quæ scilicet tantum secundum sensualem repræsentationem tales sunt, sive deinde externo, sive interno sensu menti proponantur, non possunt Deo jure adtribui, uti sunt figura, passiones &c.


§. 134.

Perspicuitas, & vivacitas cognitionis Dei.

Cognitioni, qua Deum adprehendimus, omnem, quam possumus, procurare tenemur perspicuitatem, & vivacitatem. Ad primum consequendum debemus usum intellectus nostri, atque rationis excolere Religionis quoque gratia. Ut adsequamur
alte-

alterum, necesse est facultates omnes animæ inferiores conspirare ad veram cognitionem nostram animandam. Quare debemus 1) bonitatem Dei interne, sine fanatismo tamen, perscrutari, 2) Ideas Dei cum aliis compluribus contendere, 3) nosmet in Deo delectare.

- 1) Fanatismo optime præcavetur usu rationis, cum primis autem ejusdem ad distinctam animæ humanæ cognitionem adplicatione, qua facile dignoscitur naturalis origo repræsentationum, quæ fanatico supra naturam esse videntur.
- 2) Theologia mystica, quæ ut plurimum sensu-alis est, & cujus lingua hac ipsa de causa phantasiæ tantopere placet, estque efficax, facile potest occasionem fanatismo suppeditare, nisi quis ante contra seductionem se præmuniat, suasque notiones diligenti resolutione exploret, & a rudi illo, quod iisdem adhæret, solícite repurget.
- 3) In oblectamento, quod in nobis sensus Religionis excitare solet, sedulo videndum est, an suavitatem illam e sensu ipsius religionis, an vero casu duntaxat e peregrinis, eidemque ad sociatis ideis percipiamus.
- 4) Suaves, atque piæ sensiones pro earum, quibus sociatæ sunt, varietate diversa sortiuntur nomina in mysticis præcipue scriptis, uti *remissionis*, si inamoenis fuerint junctæ sensionibus. Defectum notabilem piarum, & jucundarum sensionum adpellant *ariditatem*, quæ cum naturalem, nec in potestate nostra positam possit habere causam, inutiliter cruciaret se, qui eam sibi imputaret.

*Certitudo ejusdem.*

Cognitio, qua Deum agnoscimus, debet esse certa; conandum ergo est homini, ut ope principiorum rationis de rebus ad religionem adtinentibus perfecte vincatur; ac si istud non succedat, acquiescat in morali certitudine, quæ ad prudenter operandum sufficiat. Cavendus igitur erit pruritus demonstrationes theologicas, etiam impossibiles potius, aut falsas conquirendi, quam multas adhibendi: scepticismus item, seu retentio adsensus etiam in veritatibus luculentissimis: ac denique facilis in rebus Religionis credulitas, seu habitus sine fundamentis sufficientibus adsentiendi.

- 1) Sollicitudo, ne nimium creduli esse videamur, non parva in Religionis professione adfert detrimenta. Homines enim, qui acumen ingenii sibi arrogat, nihil magis metuunt, quam hanc exprobrationem. Nihil adeo mirum, si defensores atheismi cum hoc præludio, quasi soli creduli certos se putent de Religione, in animos juvenum ambitiosorum aditum inveniant.
- 2) Non est autem credulis accensendus, qui aliquid sufficientibus fultum veritatis motivis adeoque veritates rationis adcuratis ejusdem demonstrationibus, facta vero sensuum suorum, aut idoneorum testium autoritati innixa pro veris habet.
- 3) Qui difficultates in Religione naturali deprehendit, eamque idcirco repudiat, non animadvertit se absurda quæque consecraria conquire debere, uti sunt: nullum esse autorem mundi,

mundi, eundem fortuito atomorum concursu
enatum esse &c.

§. 136.

Vivacitas ejusdem.

Neceſſe demum eſt, ut Dei cognitio ſit vivi-
da, ſeu mentis in ſe ſtimulos contineat. Eniten-
dum ergo eſt, ne 1) Religio noſtra ſit pure lite-
ralis, & ſymbolica ſine notabili intuitu. Augmen-
tum intuitus in notitia Religionis eſt *ædificatio*,
quæ tam ſenſualis, quam rationalis eſſe poteſt. Co-
nari ergo debemus, ut alios ædificemus. 2) Ne
Religio mere *ſpeculativa*, verum ut *actuosa* ſit.

- 1) Adminiculo vivacis, qua Religionem adpre-
hendimus, cognitionis promovetur ejusdem
exercitium.
- 2) Senſualis ædificatio ſi ſola ſit, fere perbre-
vi tempore eſt efficax, adeoque parum utilis,
imo poteſt etiam noxia eſſe, ſi illa ſuperſti-
tioſus quiſpiam, vel impoſtor tanquam ſtimulo
ad actiones legi naturæ adverſantes abutatur.

§. 137.

Cultus Dei interior.

Cultus Dei eſt complexus omnium illarum a-
ctionum bonarum, quarum motiva e Dei cogniti-
one derivantur. Cum vero internus Dei cultus omnes
internas animæ actiones in cognitione divinarum
perfectionum fundatas in ſe comprehendat, huc per-
tinent omnes ad hanc cognitionem requiſitæ ſen-
ſiones, & adfectiones ea tantum re differentes,
quod 1) diverſas Dei perfectiones, 2) in varia ad
mundum, & noſmetipſos relatione nobis ſiſtant.

Gau-



Gaudium in Deo est delectatio in divinis perfectionibus: *Hilaritas in Deo* est gaudium propter liberationem a malo quopiam divina providentia procuratam: *Quietus in Deo animus* est viva persuasio id, quod a Deo in nos proficiscitur, sufficere ad nostram beatitatem.

- 1) Consuetudine invaluit, ut voci *obsequium* fere adjungamus ideam emolumentum, quod aliis procuramus: cum autem nos per Religionem nos ipsos perfectiores reddamus, in quo ipso nostra erga eandem fundatur obligatio, ideam hanc adsociatam, tanquam Deo inconvenientem, debemus segregare a vocabulo isto, quo nos uti coegit necessitas sermone exprimendi actiones, & sensationes ad religionem pertinentes, quod originarie iis solum convenit notionibus, quæ finitum ens pro objecto habent. Accedit voces hujusmodi tunc irreplisse in linguam Religionis, cum Dei cognitio exiguum adhuc habebat puritatis gradum.
- 2) *Obsequium Dei* refertur ad ejus dominatum, qui est utique æquissimus, cum Deus nihil velit, nisi propter rerum a se conditarum felicitatem, qui est ultimus creationis finis. Voluntatem suam manifestavit nobis per ipsam entium essentiam, & naturam, ac legum naturæ observantia est medium nostræ beatitatis.
- 3) *Verus* erit Dei cultus 1) si fundetur in vera ejusdem cognitione, 2) si etiam actiones re ipsa inde, tanquam e principio proficiscantur. Sin autem cognitio illa falsa sit, falsus etiam erit ipse cultus: & si actiones in vera Dei cognitione non fundentur, *simulatus* duntaxat est futu-

futurus. Cultus Dei *rationabilis* situs est in distincta cognitione nexus honorum actuum cum recta divinarum perfectionum cognitione. Ad Rom. 12. 1.

- 4) Necessarium, ut quis in Deo acquiescat, medium est recta humanæ beatitudinis cognitio; cum enim malum externum sapienti copulatione possit fieri gradus ad majorem internam nostram perfectionem, possunt mala externa partem efficere humanæ felicitatis, ac proinde mala esse desinere. „Panætius quidem, scribit Cicero, Africanum auditorem, & familiarum suum ait dicere: ut equos propter crebras contentiones præliorum ferociter exultantes dormitoribus tradere solent, ut his facilius possint uti: sic homines secundis rebus efrenati, sibi que præidentes, tamquam in gyrum rationis, & doctrinæ duci oportere, ut perciperent rerum humanarum imbecillitatem, varietatemque fortunæ „ I. 26.

§. 138.

*Fiducia, Gratitude, Amor, & Resignatio
in divinam voluntatem.*

Ad internum Dei cultum refertur etiam pia in eundem *Fiducia*, seu intima convictio a Deo tanta nobis bona esse tribuenda, quanta donari a summo bono possunt. *Gratitude* erga Deum est viva cognitio eundem bonorum omnium, quibus fruimur, autorem esse: *Dilectio* Dei significat conatum eidem unice ex amore placendi: *Resignatio* in divinam voluntatem consistit in proposito nihil, nisi Deo visum est, desiderandi.

1) In



- 1) In linguis quibusdam, sicut in Germanica, vox *amandi* sensu restricto nobiliore usurpatur solum pro sensu perfectionis in objecto aliquo; & amor hic nobilis prodit se erga objectum finitum per conatum perfectionem hanc promovendi: erga objectum infinitum autem, per studium eidem placendi, adeoque per observantiam legis naturæ vitam voluntati ipsius conformandi.
- 2) Amor Dei *actuosus* oritur e persensione beneficentiæ divinæ. Cum e Dei beneficiis agnoscimus eundem esse bonum, atque agnitio ista est ad amorem incitamentum, amor hic non incurrit vitium studii proprii commodi, cum repugnet naturæ spiritus objectum sine hoc motivo amare. Purus ergo Theologiæ mysticæ amor nequit pro pio haberi officio, si hoc vocabulo amor Dei miseros facientis, non autem punientis denotetur. Cum enim poenæ a Deo inflictæ sano, & non pure ex sensu judicanti intellectui, etiam beneficiis accenseantur, purus amor hoc sensu non est a natura alienus.

§. 139.

Vitia pietati opposita.

Amori, & fiduciæ erga Deum opponitur 1) *amor rerum creatarum*, 2) *sui tanquam idoli amor*, 3) *Murmur* adversus Deum, seu animus regimine ejusdem haud contentus. 4) *Reprehensio consiliorum Dei*, sive judicium Dei providentiam mediis uti posse aptioribus. 5) *Diffidentia*, seu judicium nos a Deo bona convenientissima non esse consequuturos. 6) *Carnalis fiducia*, qua in res cratas magis, quam
in

in Deum ipsum ferimur. 7) *Tentatio Dei*, sibi spes a Deo res impossibiles obtinendi.

Tentationi Dei amplior est isthic adtributa significatio, quam in sacris codicibus, atque exemplis illic commemoratis occurrat, in quibus sermo est de spe res physice impossibiles a Deo proxime obtinendi, quæ sobriæ, & cum virtute junctæ in Deum fiduciæ adversatur. Quod autem physice fieri nequit, solo miraculo potest effici: qui ergo res hujusmodi, seu miracula a Deo expectat, vel petit, non est persuasus posse a Deo etiam retento naturæ cursu id, quod est optimum, nobis præstari (138): hinc miraculorum adpetentia non est fiduciæ peculiaris, sed potius diffidentia erga Deum indicium.

§. 140.

Honor Dei.

Cum ad honorem Deo præstandum, cujus gradus summus est *adoratio*, adstringamur, in aperto est Deum adorandi obligatio. Adorationi opponitur *idololatria*, cum scilicet ei, quod Deus non est, præstatur adoratio. *Timor Dei* consistit in aversatione divinæ displicentiæ, quæ *reventia* vocatur, si Deum, quem timemus, tamen honoremus: *timor* autem *filialis*, si eundem reverenter amemus. *Timori Dei* opponitur 1) *impia audacia*, seu status animi, in quo homo nihili pendit, an Deo displiceat. 2) *Timor servilis* ob poenæ duntaxat metum. 3) *Timor humanus*, cum quis homines magis, quam Deum ipsum metuit.

- 1) Notio idololatriæ magis determinabitur, si affirmative exprimat per adorationem entis fini-



niti, e. g. mundi, corporum coelestium, hominum in censum deorum relatorum &c.

- 2) Cum entia finita sint multiplicia, quisque videt ab idololatria viam ad pluralitatem deorum sterni.

§. 141.

E Dei reverentia fluit officium 1) ad eum *imitandum*, 2) ad eidem *obediendum*. Obedimus autem Deo tamquam legislatori nostro, si illum ut talem vivide agnoscamus, nostrasque actiones liberas declaratae ejusdem voluntati conformemus. Potestas ferendarum legum in Deo sequitur e plenissimo illius in spiritus *dominatu*, vel e perfecto ejusdem jure de illis pro arbitrio decernendi. Quisque certe, qui summas in Deo perfectiones, adeoque perfectissimum ejusdem intellectum, atque voluntatem, optima quæque pervidentem, & eligentem agnoscit, debet jus hoc in Deo agnoscere, ac proinde eidem obedire adstrictus esse. Obedientiæ huic opponitur *inobedientia*, & *rebellio* adversus Deum, fita in vano conatu tollendi obligationem erga Deum.

Obedientiæ quævis refertur ad voluntatem alienam, cui voluntatem nostram conformare obligationis nostræ censemus esse. Obligatio porro hæc evinci potest modo e sensu, quem de interna voluntatis bonitate, modo e repræsentatione, quam de imperantis dignitate habemus. Tametsi autem divina mandata interna quoque bonitate gaudeant, tamen de eorundem excellentia non semper perinde efficacem habemus sensum, cum eidem sensuales interdum obstent illecebræ. Unde diversi possunt existere gradus liberalis erga Deum obedientiæ, quorum supremus *filialis*, infimus *servilis* est.

§. 142.

Oratio.

Pars interni cultus divini est *oratio*. Dum a quopiam aliquid propterea, quod nos amet, postulamus, *orare* nos illum dicimur. A Deo quiddam orare est eundem *invocare*, quod si in actu animæ consistat, *oratio interna* adpellatur. Ceterum oratio sensu peculiari est, cum aliquid pro nobis ipsis, *deprecatio* autem, cum pro alio petimus. Si nomine *orationis continuæ* veniat agnitio dependentiæ bonorum omnium a bonitate divina, dubium nullum est nos ad orationem continentem obligari. Oratio legitima juncta plenæ in voluntatem Dei resignationi finem suum, seu exorati boni largitionem semper consequetur.

Dubium, utrum oratio exaudiatur, e veri boni ignorantia nascitur. Cum enim cuncta in mundo nonnisi ratione connexionis sint bona, quam providere non possumus (137. anim. 3.), de precibus nostris exauditis tunc solum possumus esse securi, cum illud generatim petimus, quod nobis optimum est, Deoque relinquimus, ut hoc ipsum pro mensura summæ bonitatis; & sapientiæ suæ determinet. Hinc magnopere commendabat Socrates hanc orandi formulam: „Tribue nobis, o Deus, sive rogatus, sive non rogatus bonum: malum autem, „ etiam si illud flagitamus, averte „. Plat. Alcib. 2.

§. 143.

Obligatio orandi.

Obligari nos ad orationem adparet 1) quia obstringimur a Deo, quia nos amat, pro nobis, aliisque bona optare: 2) futura providere, atque



ita securitatem, & animi æquipollentiam præcave-
re: 3) perfectionum divinarum in nobis cognitio-
nem amplioŕem, dignioŕem, & vivacioŕem redde-
re. Debent autem prius noŕtræ fieri 1) cum reſi-
gnatione in voluntatem divinam, 2) ſine importu-
nitate, cujus fons error ille eſt, quali habeamus
jus a Deo quidpiam exorandi.

Incitamenta ad orandum ſunt ipſa propria no-
ſtra emolumenta. Nam 1) Si vitiis deditus adju-
mentum ad emendationem poſcat, ipſa hæc oratio
jam eſt primus pius actus, & primus languidus in
via virtutis paſſus excitans in animo piæ cogitatio-
nes, & incitamenta, faciensque illum denuo boni-
tatis divinæ in gradu majore participem, cum ipſo
ad virtutem reditu ſe beatitudinis ruruſus capaceſ
efficiat. 2) Si fragilis pro firmitate in bono, pius
adſlictuſ pro viribus in patiendõ ſupplicet, ſenſus
divinæ bonitatis animam ejuſdem ad fiduciam ora-
tionis erigens ſuppeditat eidem animi tranquillita-
tem, quæ malum tollit (137), & complanat vir-
tutis arduitatẽ. 3) Cum orando peccatorum re-
miſſionem impetramus, Deum non mutamus, nec
proprie tamquam iratum placamus; ſed cum ad
eundem reverſione ab iniquitate noſtra ſanamur,
bonitatis divinæ iterum capaceſ, atque participes
reddimur.

§. 144.

Externa, & interna oratio.

Orationes e contemplatione ſola orantis proce-
dentes preceſ *internæ*, ſeu *mentales* audiunt; *extér-
næ* contra ſeu *verbales*, ſi iis ſignorum quoque ex-
ternorum repræſentatio ſit adjuñcta, quæ ſi in ore
duntaxat, & verbis conſiſtant citra internam adtentio-



tionem, atque eorum, quæ recitantur, conscientiam, delinunt in *battologiam deblateratam*. Externa oratio vel fit verbis jam ante conceptis, vel extemporalibus: prior oratio ex *formula*, posterior *ex corde* nuncupatur.

- 1) Posterius precandi genus in eo, quo hic explicatur, sensu, & accipi a mysticis solet, non potest esse nisi momentaneum. Ceterum cum sine signis cogitare non possimus, tamen illa, siquidem verba sint, haud enunciamus, solet etiam oratio hujusmodi sine verbis pronunciatis precatio cordis adpellari.
- 2) Verbis conceptæ præces pietatem necessario non excludunt, neque sunt proinde repudiandæ, ubi oratio interna locum habere, aut commode institui nequit.

§. 145.

Spirituales habitus.

Perfectiones omnes interioris cultus divini, seu pietatis ad tria possumus revocare capita, scilicet 1) Pietas nostra debet esse *pura*, 2) *constans*, 3) *fervida*, hoc est, debemus ad omnes actiones nostras sive eodem tempore ponendas, sive sibi succedentes incitamenta depromere e Dei glorificatione, eamque plurimum adpetere. Necesse igitur est nos exercere, ut harum perfectionum habitum acquiramus, unde consequens est obligari nos ad pietatis puritatem, constantiam, & fervorem, & ad vitia his contraria devitanda.



§. 146.

Pia simplicitas, & religiosa prudentia.

Habitus Religionem pro fine suo unico proponendi vocatur *pia simplicitas*, quæ cum religiosa tam sapientia, quam prudentia optime consistere potest, modo prioris ope scopos nostros, posterioris autem media ultimo actionum nostrarum fini congrue subordinare sciamus, ubi debitam adhibendi diligentiam habitus est *fidelitas*. Virtutibus hisce adversantur 1) impia *negotiositas* (*πολυπραγμοσύνη*) sive habitus plures fines sine pia subordinatione proponendi. 2) Impia *indolentia*, & *stupiditas*, seu habitus Religionem pro fine nunquam habendi, aut fines secundarios, & adparentes pro fine ultimo constituendi. 3) Impia *stoliditas*, 4) *infidelitas* in pietate. Demum quidquid pietatem in aliis impedit, est *offendiculum* (scandalum).

Terrenis immerfi rebus, qui nullum alium norunt finem hominis conatu dignum, quam suis unice servire commodis, concipere nequeunt posse hæc sublimioribus, tametsi non ita patentibus, finibus immolari: unde semper præpendent ad notam hebetis, & pusillæ mentis sapienti huic cordis simplicitati inurendam.

CAPUT II.

De externo Dei cultu.

§. 147.

Cultus Dei externus est complexus omnium externarum, & liberarum corporis nostri actionum, quæ ex motivo glorificationis Dei procedunt. Huc ergo

ergo referuntur actiones corporis, quibus interna nostra Religio declaratur, vel augetur, ad quas idcirco obligamur, quod consensione externarum, & internarum naturalium actionum perfectio nostra promoveatur. Ut primum autem obstringimur ad internam Religionem, simul obligamur ad omnia, quæ eandem augent, uti est lectio, atque auditio divinarum veritatum, & quidem apud illos, qui eas maxime adposite proponunt.

- 1) Internus Dei cultus eget externo tanquam sensus interni declaratione, qui si vim, & æstum habeat convenientem, semper nititur se per corporis actiones prodere, augetque ipsum etiam ardorem internum, cum ob arcanum animæ cum corpore vinculum actiones corporis, saltem ope confusæ impressionis, rursus in animam reagant.
- 2) Eadem argumenta suadent socialem Dei cultum in quavis societate, & publicum in majoribus societatibus. Communio enim comprehensantium non confert modo ad animi collectionem, sed etiam promovet, secundum notam animæ humanæ legem, mutuam piorum sensuum communicationem, qui proinde e pluribus unitis fontibus augmentum ardoris sui accipiunt.
- 3) Definita cultus divini socialis constitutio, quam plurium consociatio jam reddit necessariam, vel propterea salubris est, quod hominem de quibusdam officiis ipsa ordinis præstituti lege admoneat. Sane providendum est, ne sensus Religionis sensim intepescant, nisi externis, & socialibus exercitiis foveantur; neve ex animo pedetentim diffluant, nisi per ipsam



ordinis legem identidem renoventur. Quare cultus externus generatim, socialis autem speciatim est in semetipso rationalis, in effectu utilis, in exercitio jucundus.

- 4) Voluptas e sociali divino servitio redundans coalescit ex ipsa pietatis, & socialis participationis jucunditate, qua voluptas quævis augetur.
- 5) Salubres hi Religionis socialis effectus deponunt, ne ejusdem usus, & exercitatio per minoris momenti Religionis theoreticæ dogmata difficilis reddatur.

§. 148.

Corporeus Dei cultus, politica Religio, hypocrisis.

Actus externi ad Dei servitium pertinentes, qui putantur sine interna Religione Deo accepti esse posse, sunt pure *corporeus* ejusdem cultus: si quis autem eosdem cum aliis tantum exerceat, *politica externam* habet religionem: sin vero pro fine habeat proprium adparens emolumentum, *hypocrita* est. Sermones, & libri impietatem altiore sensu complectentes *profani* dicuntur, quorum non lectio modo, sed ipsa etiam auditio est vitanda.

- 1) Tametsi cultorum hominum exempla externum Dei servitium apud incultos commendent, tamen politicam iisdem minime ingenerant Religionem, cum alia insuper præsto sint ad Religionem, & externum Dei cultum (147) incitamenta. Religio itaque politica semper est vitiosa, etiam si in exosam, atque arrogantem hypocrisim non degeneret.

2) Hy-

- 2) Hypocrisis, seu Religio simulata exercitato observatori facillime se prodit excessu suo, & singulari cultum divinum exequendi modo, qui plerumque cum ostentatione, devotiunculis, & fastu spirituali est conjunctus.

§. 149.

Confessio Dei.

Cum obligemur vivam divinarum perfectionum cognitionem etiam in aliis provehere, obligamur quoque ad *Dei confessionem*, seu internæ nostræ Religionis coram hominibus declarationem, sive deinde verbis, sive signis aliis, hoc est, palam, vel tacite depromendam. Ceterum cavendum 1) ne pietatem ostentemus, 2) ne speciem ejus honoris aucupandi causa adsumamus, 3) ne nos illius pudeat, 4) ne metu contemptus speciem ejus vitemus.

- 1) Ostentatio Religionis hoc differt a devotiunculis (Andächteley, Bigotterie), quod hæ interdum oriantur etiam ex errore, & anxietate conscientie certis cultus divini externi partibus falsum pretium adtribuentis.
- 2) Hypocrisis, & exoticæ devotiunculæ in causa erant, quod quidam putarent externæ Religionis solos deceptores, ac hebetes esse addictos, multosque cetera præstantes viros ejusdem suppuderet. Verum servitium Dei rationale, quatenus est manifestatio genuinæ theoreticæ Religionis (147.), nihil continet aliud, quam quod humano intellectui, & cordi honori cedat, cum ad nobilitandam hominis essentiam conferat, & nobilissimas, suavissimasque ejusdem voluptates promoveat.

§. 150.



Status confessionis, negatio Dei, defectio, blasphemia.

In confessionis statum venimus, cum honor Dei exigit, ne internæ Religionis nostræ adtestationem defugiamus: atque tunc vetitum est Dei confessionem intermittere, multo autem magis disertè contestari nos Deum, quem tamen veneramur, non agnoscere, vel ab eodem, quem ante agnovimus, penitus deficere, aut verbis disertis blasphemiam adversus eundem evomere. Nomine Dei abuti dicitur, qui illud ad alium, quam glorificationis, finem usurpat.

- 1) Blasphemia in foro externo est disertus ejus contemptus, quod leges civiles pro divino declarant.
- 2) Atheus Deo ea solum de causa potest conviciari, ut cultoribus ejus illudat, agit proinde pure e stolido, & noxio fastu, qui dignus est, ut justis quibusvis mediis impediatur, cui eorum, quibus illuditur, tranquillitati, atque virtuti possit esse perniciosus.
- 3) Etiam hi, qui Religionem agnoscunt, possunt mediatam in animo committere blasphemiam, si nimirum sorte sua contenti non sint. His inculcandum est 1) quam sit stolidum contra Dei dominatum insurgere velle (141.), 2) mala in hoc mundo physica bonitati divinæ nequaquam adversari.



Hæreseos infimulatio, Spiritus persecutionis.

Quicumque Religionem in aliis propagare vult, debet eosdem ad rectam illius cognitionem ducere, atque ab erronea remove, sine tamen odiosa *hæreseos infimulatione*, seu habitu notam hæreseos temere cuiquam adpingendi, item sine *spiritu persecutionis*, seu propensione ad errores in Religione puniendos.

- 1) Cum ergo quisque obligetur orthodoxiam promovere, & quod ab illa abhorret, impedire, obligatur etiam errores, quantum physice, & moraliter fieri potest impedire, eos indicare, ac refellere.
- 2) Hæretici porro nomine venit, cujus opiniones recedunt ab ecclesiastica, & politica orthodoxia. Itaque tunc infimulatur aliquis de hæresi, cum ejusdem ab orthodoxia hac dissensio indicatur, quod plerumque fit insigni-endo Personæ cujuscumque nomine, cujus doctrina ab Ecclesia, & republica rejecta jam, & damnata est.
- 3) Unicum morale errores impediendi remedium est convictio de veritate; quare cum *poenæ* sint motiva voluntatem ad veritatis inquisitionem inclinantia, non sunt ipsæ per se apta media errorum impediendorum. Quicumque ergo errorem veluti hæresim puniendi causa denunciât, coeco, atque improvido ducitur Religionis studio, & peccat adversus charitatem proximi malum haud necessarium procurando.



4) Debemus proinde studium impediendi errores circa religionem conjungere cum *tolerantia*, seu habitu nonnisi veros, & momenti majoris errores ope remediorum phyſice, ac moraliter poſſibilium impediendi. Poſteſt quis religioni, quam proſitetur, ſummo ſtudio adhæ- rere, quin ſit neceſſe, odiſſe eos, qui aliter ſentiunt; Itaque parum ſcite judicant ii, qui quodvis genus *Tolerantiæ*, ab *Indiferentiſmo*, aut *Irreligione* originem ducere ſibi perſuadent. Nec minus tamen injuſti ſunt illi, qui quemvis pro Religione *zelum* tamquam *ſuperſtitioſum*, & *fanaticum* traducunt. Num enim non eſt in officiis eorum, qui præſunt, Sermones, Scripta, Acta religioni noxia, veluti publica, valde pernicioſa Scandala ſancitis etiam poenis coercere. C. f. Auguſt. Schelle publici in Univerſitate Archiepiſcopali Solioburgenſi Profeſſoris *Philophia Præctica* Germanico idiomate ſcripta. P. I. §. 107. pag. 572. ſeq.

§. 152.

Bonum exemplum.

Inter aptiſſima media gloriam divinam apud alios promovendi eſt *vita exemplaris*, ſeu ejusmodi actionum noſtrarum inſtitutio, quæ probitatis exemplar aliis eſſe poſſit: cumque offendicula pietatis alienæ cavere debeamus, vitanda ſunt, quæ pravum præbere exemplum quoquo modo poſſent. Quare vel boni exempli cauſa obſtringimur ad externum Dei cultum, & hinc ad externas preces, gratiarum actionem, divinas laudes, & ſacros hymnos, reverentiam item, atque externæ erga Deum venerationis declarationem.

Bono

Bono exemplo non una ratione incitatur animus: ad nostras enim actiones pertinet cooperatio plurium internarum illecebrarum a variis causis externis determinandarum, quas inter exemplum operatur ope 1) stimuli imitationis, 2) sensus moralis, 3) præjudicii.

§. 153.

Piæ ceremoniæ.

Notabilis actionum nostrarum harmonia morem - seu ritum generat: mos porro externus arbitrarius, quem plures homines, inita inter se conventionem, suis in negotiis observare decreverunt, parit consuetudines, quæ adpellantur *cerimoniæ*, si tanquam signa officia nostra vel nobis in memoriam revocent, vel exhibeant, vel præsignificent. Sunt ergo sacræ *cerimoniæ* signa officiorum pietatis. Non tamen omnes sacræ consuetudines sunt proprie ceremoniæ, nec debent sensu quodam mystico iisdem accenseri. Vitandæ sunt omnes sensuales, longe petitæ, parum aptæ, ambiguae, atque superstitiosæ ceremoniæ.

- 1) Cerimoniæ illæ procul dubio sunt optimæ, quæ non arbitraria solum, verum etiam naturalia indicia sunt internorum Religionis sensuum.
- 2) Cum ceremoniarum utilitas ex earundem habitate interna Religionis sensu exprimendi pendeat, illæ tantum apte cohærent cum eadem, quæ sensu hæc luculente manifestant, ac in aliis etiam e lege phantasiæ excitant, & confirmant, quod quidem efficiunt, quatenus certas cogitationes, & sensu interna cum iisdem connexa generant, quæ externis corporis



motionibus fuscitantur, & augentur ob certam, quæ inter eadem intercedit, similitudinem.

- 3) Ut autem cerimonix hanc adferant utilitatem, non debent esse procul petita, cum secus intelligi, quid sibi velint, nequeat; sed nec accumulata, secus, ut omnia memoria signa psychologica, adtentionem distrahunt, & plus nocent, quam prosint, atque novitatis suæ illecebra vim pias in animo motiones excitandi amittunt.

§. 154.

Jusjurandum.

Jusjurandum est confirmatio cum externa Religione copulata. Qui ergo jurat, officium veridicendi clarius, & vividius sibi repræsentat e motivis Religionis, & declarat diserte, vel tacite Deum a se ut omnia scientem, & justum agnoscere. Unde jusjurandum est occasio pietatis ostensæ demonstrandæ, adeoque minime repudiandum: ludicrum nihilominus in rebus haud convenientibus est vitandum.

§. 155.

Actus Religionis.

Ad cultum Dei externum relatæ actiones, quarum cum interna Religione connexio luculentior est, speciatim *actus Religionis* vocantur; & qui possidet habitum eosdem adcuratius observandi, *religiosus*, aut proprie *homo pius* dicitur: qui vero habitum contraxit eosdem corporis duntaxat officio peragendi, religiosus sensu sinistro (Bigot) audit.

In

In vero religioso, seu pio homine debet moralis veritas, seu signorum cum internis sensis connexio præsto esse.

Actuum horum cum Religione connexionem ea de causa vocamus luculentiorē, quod facilius possit cognosci. Nullum enim aliud verum habere possunt motivum, quam Religionem; cum ex adverso aliæ actiones piæ etiam ex aliis incitamentis peragi possint.

S E C T I O II.

Deo officiis erga semetipsum.

C A P U T I.

De sui ipsius cognitione.

§. 156.

Notio.

Officia ergo nosmetipsos sunt, quorum ratio determinans est realitas quæpiam, quam in nobismetipsis procurare debemus, sive deinde illa referatur ad animam, sive ad corpus, vel ad status nostri externi realitates. Id quod his officiis contrarium est, *peccatum in se ipsum* adpellatur. Si obstringimur ad consecrandam perfectionem nostram, nosse utique debemus, quænam illa sit, quod scire haud possumus, nisi rationem ejusdem determinantem cognoscamus; hæc autem nosmet ipsi sumus: debemus ergo nosmetipsos nosse. Debemus præterea nos etiam tanquam Dei opus noscere, ad eundem nempe honorem, & nostram voluptatem.



- 1) Vocabulum *Moderatio* sensu vulgari potest accipi pro habitu voluptates omnis generis, etiam nobilissimas non magis adpetendi, neque molestiam magis averfandi, quam moraliter fieri, aut cum perfectione nostra consistere possit. Moderatio hæc est immediata consequutio amoris proprii rationabilis, comprehenditque omnes voluntatis virtutes, quæ ad officia erga nosmetipsos referuntur.
- 2) Atque ita habitus tribus præcipuis hominis officiiis respondententes possunt reduci ad tres virtutes primarias, pietatem scilicet, moderationem, & amorem proximi. Videtur Plato ipse voci *moderatio* (σωφροσύνη) sublimem hanc ideam adjunxisse in Erast.

§. 157.

Discussio suiipsius.

Enitendum est, ut nostri ipsorum amplam, veram, & distinctam cognitionem adipiscamur; quem in finem necesse est, ut nosmetipsos crebrius excutiamus, seu ut animum certis temporibus ab alienis cogitationibus avocemus, & ad status nostri meditationem colligamus. Qui status sui moralis præsentis notabili cum adtentione sibi conscius est, *vigilans* esse dicitur: qui contra adtentione in valde diversa objecta distrahitur, *morali vertigine*, & si status hic in consuetudinem vertit, *morali temulentia* laborat.

- 1) Morali temulentia opponitur *sobrietas*, & vigilantia, ad quam plurimum conferunt molestia in animum impressiones 1) excitando novitate sua adtentionem, 2) menti adtionum consequu-

sequutiones objiciendo, ac earundem meditationem procurando, 3) voluptatum sensualium, animum distrahentium, continuationem interrumpendo. Inamoenæ id genus sensationes interdum alienæ, nonnunquam nobis ipsis sunt propriæ.

- a) Exemplum hoc ostendit sapienti malorum externorum cum interna perfectione nostra copulatione nos ad contemplationem excitari

§. 158.

Recognitio vitæ.

Opera adhibenda est, ut quisque statum, ac tenorem vitæ tam præsentem, quam futurum in mentem sibi reducat. Primum cum fit, vita præterita *recognoscitur*, quam in rem commentarii diurni institutio adjumento erit. Futurum quod adtinet, conari debemus speciatim status nostros morales maxime, qui nos aliquando vehementius adfecerunt, prævidere, ac ope expectationis casuum similium, & prudenti providentia recte futura prospicere, ut scilicet consueamus nihil, tanquam improvisum, admirari.

- 1) Discussio hæc suiipsius quotidiana fuit pars disciplinæ in schola Pythagorica: Μη δ' ὕπνου μαλακοισιν &c. Carm. aur. v. 40. - 42.
- 2) Exemplar in eandem rem præstantissimum supeditat M. Aurel. Imp. in libro τῶν εἰς ἐν ἑαυτὸν.
- 3) Sensationes novæ ipsa sua novitate sunt vividiores: præfagitio, & expectatio insolentiam earundem minuit: hinc molesti eventus levius feruntur, cum non sunt improvisi. „Nimi-

H

rum



„ mirum hæc est illa præstans, & divina sapientia, & præceptas, & pertractatas humanas res habere; nihil admirari, quum acciderit, nihil, antequam evenerit, non evenire posse arbitrari „. Cic. Qu. Tusc. III. 13.

§. 159.

Censura sui ipsius.

Cognoscendo nosmetipsos venimus in notitiam perfectionum, & imperfectionum nostrarum, atque ita *nosmetipsos dijudicamus*. Judicium istud proponit nobis vel præsentis, vel præteritas, aut futuras nostras perfectiones, ad quas si non simul omnes dirigere adtentionem nostram possimus, cum primis ad eas debemus advertere, quarum cognitio est nobis maxime proficua, quo in genere futurarum est cognitio, utpote actionum nostrarum suppeditans incitamenta. Habitus perfectiones proprias recte dijudicandi est recta *sui met ipsius æstimatio*, qui ad imperfectiones relatus dicitur *humilitas*, quæ vel *specialis*, vel *generalis* adpellatur, prout vel aliquas tantum, vel omnes universe imperfectiones agnoscit.

- 1) Notio humilitatis hunc in modum determinata satis discernitur ab animi abjectione, atque genuinum ejusdem fontem, ac utilitatem luculente declarat.
- 2) Fons autem iste partim est cognitio perfectionum, quas nondum possessas consequi nitimur; partim earum, quas in aliis illustriores cernimus, & æmulari cupimus, quæque aliorum contemtionem in nobis impediunt.
- 3) Vera animi demissio fundatur igitur in recta sui met ipsius cognitione, quæ nos in bono fervidos,

vidos, dociles, & gratos erga illos efficit, qui nos erudiunt, aut corrigunt. Atque hæc ipsa est ratio, cur veteres Philosophi pervagatum illud: *Nosce te ipsum*, & christiani morum præceptores humilitatem, tanquam perfectionis comparandæ subsidium tantopere commendaverint.

§. 160.

Excessus, defectus, mediocritas.

Sunt genera quædam officiorum, in quibus ad summum, qui physice obtineri potest, gradum eluctari minime obligamur. Huc pertinent officia omnia iis exceptis, sine quibus summa in Deum Religio constare nequit. Gradus actionum moraliter possibili major, adpellatur *excessus moralis*; qui autem minor est, *defectus* nuncupatur: habitus neque in excessus, neque in defectus vitium incurrendi *mediocritas* adpellatur. Excessus in seipso æstimando *fastus*, defectus *abjectio*, seu *vilitas* est.

- 1) Characteres tribui hominibus solent secundum habitus, qui in sui conjugatione eminentiores, & quodam modo dominantes sunt.
- 2) Habitus hi possunt reddi vitiosi comparate ad suam tam conditionem, quam magnitudinem. Cum enim crescente uno habitu alter minui possit, evenire potest, ut ejus incrementum reddatur moraliter impossibile, adeoque mediocritatem excedat.
- 3) Id ipsum cadit in actiones liberas, quarum ob suam constitutionem, quædam propter magnitudinem accensentur peccatis, si nempe vel se-ipsis, vel sui repetitionibus noxiæ sint.

H 2

4) Ista



- 4) Ista regularum perfectionis collisio locum dumtaxat habet in sensilibus, ac dependentibus, adeoque in finitis entibus. Quare in spiritibus solum finitis possunt inesse virtutes in mediocritate consistentes, quæ supremo enti non nisi per eminentiam solent adtribui. Hinc virtutes omnes recte tribuuntur in transcendentales, & finitas. Priores, utpote rationem unice in essentia spiritus habentes, ad perfectionem spiritus universe, ac proinde tam finiti, quam infiniti pertinent: posteriores ad finitos tantum sunt restrictæ.

§. 161.

Officia conscientiæ.

Cum perfectio, & imperfectio nostra ab actionibus nostris liberis pendeat, e legibus autem adpareat, quænam earum bonæ, quæ malæ sint, necesse est illas cum legibus contendere, ex quo consequens est nos *conscientiam* habere oportere, quæ *culta*, vel *rudis* erit, prout multas, aut paucas actiones cum compluribus, vel paucis legibus contendimus. Conscientia adtentionem ad comparisonem istam defigens erit *proportionata*, si momenti legum, & actionum fuerit conformata: sin autem leges momento suo non ponderet, sed gravioribus minorem, aut minus ponderosis majorem adhibeat adtentionem, in casu primo in vitium *levitatis*, in altero in *anxietatis* notam incurret.

- 1) Quisque ergo nostrum ipsa sua felicitate obstringitur ad excolendam, & emendam suam conscientiam.

2) Ut.

- 2) Ut autem conscientia rite excolatur, debet intellectus locupletari ejusmodi veritatibus, quarum ope adjuvetur cognitio actionum nostrarum, legum item naturalium, & officiorum, rectæque eorundem subordinationis, cui facienda in collisionibus exceptio innitur.
- 3) Fieri potest, ut illecebris sensilibus moveamur ad attentionem dirigendam in rationes pro validiore legis debiliore vinculo pugnantes, quæ deceptionibus phantasiæ junctæ actionum nostrarum objecta haud recta repræsentent: hoc si fiat, oritur *deceptio sui ipsius*, seu ejusmodi erroneum morale judicium, quod propter sensiles illecebras pro vero habemus.


§. 162.

Varia conscientia genera.

Quoniam judicium conscientia rationationem involvit, cujus propositio ipsa lex, assumptio vero est actio eidem conformanda, conscientia nostra omni eo recta redditur, quod rationationem tam ratione materiae, quam formæ rectam efficit, adeoque recta legum, actionum, & regularum rationationis cognitione. Conscientia actiones cum naturalibus conferens *naturalis* dicitur. Dum claras conscientia rationationes facimus, *vigilat*, secus *dormit* conscientia, rursusque *expergiscitur*, dum aperte ratiocinari incipimus. Si conscientia vigilans actionem quampiam judicet esse legitimam, aut illegitimam, erit *adprobans*, vel *improbans*.

§. 163.

Utrum *certa*, *probabilis*, aut *dubia* sit conscientia, pendet ab ejusdem judicio. Quamdiu judi-




cium est dubium, æqua sunt pro vero, & falso momenta, quæ ratione moralitatis actionis nostræ vocantur *scrupuli conscientiæ*. Judicium de moralitate actionem præcedens, vel subsequens adpellatur *antecedens*, vel *consequens* conscientia.

Scrupulis conscientiæ plerumque jungitur inquietas in conscientia consequente inde oriunda, quod cum tædio advertamus ad detrimentum felicitati nostræ illatum: in præcedente autem, quod sollicitemur, ne præcipiti consilio in eandem peccemus.

§. 164.

Conscientia *laxa* probat etiam, quod illegitimum, *anxia* improbat, etiam quod legitimum est. Conscientia *boni*, vel *mali* est adprobans, vel improbans, comitans actionem, & subsequens. Inquietas, & molestia decretis reæ conscientiæ juncta *morsus conscientiæ* vocantur, quorum varius est gradus pro commotionum animi varietate. Conscientia antecedens adprobans dicitur *suadens*, improbans *dissuadens*. *Casus conscientiæ* sunt eventus in tribunali conscientiæ dijudicandi. Dubia conscientia sedulo corrigenda est tanquam minime proba, cum nulla res perinde bona, ac mala sit. Quare certum est inquirendum, quod ubi deprehendi non potest, videndum, ut certiores fimus relate ad malam, quam bonam, item relate ad suadentem vel dissuadentem, quam ad bonam, vel malam conscientiam



CAPUT II.

De Amore proprio.

§. 165.

Obligatio ad amorem sui.

Gaudium de nostra perfectione est *amor proprius*, ad quem obligamur. Amor autem hic stringit nos ad procurandam conscientiam nostram perfectionem, nimirum ut fiat 1) *absoluta*, seu completa habeat agendi incitamenta, 2) *practica*, ut non solum doceat, quid bonum, malumve sit, sed etiam quid vel agendum, vel omittendum, 3) vitet illorum errorem, qui etiam improbabilia amplectuntur.

§. 166.

Amor sui ordinatus.

Amor proprius *ordinatus* erit, si socialibus perfectionis nostrae legibus conformatus fuerit, secus futurus est *inordinatus*. Erit praeterea *excultus*, si rectae suimet ipsius aestimationi consentiat: *coecus*, si ex illa non sequatur: *fatuus*, si nullo plane nitatur fundamento. Sicuti duo haec postrema genera devitare, ita ordinatissimum nostri ipsorum amorem debemus consecrari, adeoque 1) non magis nosmetipsos, quam alios, in quibus major, nobisque perinde cognita, atque nostra propria, elucet perfectio, 2) alia praeterea habere incitamenta, quam quae unice petuntur a perfectione ad nos tanquam finem pertinente. Unde vitanda est propria utilitas.

- 1) Cum ad nosmet amandos obligemur (164), hoc autem ipsum sit fons omnium altarum obligat.



ligationum derivatarum, tanquam immediate profluens e primigenia lege morali, potest ex vero dici amorem proprium esse scaturiginem moralitatis omnium humanarum actionum. Adposite Cicero: „Nec tamen, inquit, nostræ
 „ nobis utilitates omittendæ, aliisque traden-
 „ dæ, cum his ipsi egemus: sed sui cuique
 „ utilitati, quod sine alterius injuria fiat, ser-
 „ viendum est. Scite Chrylippus, ut multa:
 „ Qui stadium, inquit, currit, eniti, & con-
 „ tendere debet quam maxime possit, ut vin-
 „ cat: supplantare eum quicum certet, aut
 „ manu depellere, nullo modo debet,„. De
 Offic. III. 10.

- 2) Qui istud defendere non audebant, procul dubio metuebant, ne confundant amorem proprium (165.) cum vitioso utilitatis propriæ studio, & perfectionem ab una duntaxat parte considerent, id quod plerumque fit, cum nos e motivis minus ponderosis adversus nobiliora, præsertim autem illa, quæ ad officia socialia referuntur, determinamus. Quia enim per actiones sociales nosmetipsos tanquam medium perficimus, debent actus nostri etiam per aliorum perfectionem determinari, siquidem non solum peculiaribus, sed etiam communibus perfectionis legibus conformandi sint.
- 3) Bene igitur ordinatus suimet amor est fons obligationis ad actiones sociales, & stimulus ad easdem est voluptas e societate redundans, quæ in benevolo corde tam potest esse vehemens, ut non defuerint, qui occasionem inde sumerent stimulos hos unice ad proprium commodum referendi. Sed hoc citra diversarum
 notio-

notionum confusionem sustineri haud potest, cum loquendi usus eas tantum actiones referat ad proprium emolumentum, quarum scopus propria nostra perfectio est.

- 4) Discrimen inter commodi proprii studium, & benevolentiam maxime incurrit in oculum in collisione propriae, & alienae perfectionis. Quo major est aliena perfectio, quam unice suimet studiosus non promovet; & quo minus commodum, quod is sibi hoc pacto tanquam scopum procurat, eo sunt contemptu, & odio digniores, qui suam ubique consecretantur utilitatem.
- 5) Vitii hujus species quaedam est *egoismus* gradus habens diversos. Maxime crudus egoista agit ex vilissimis comodo proprio servientibus motivis contra officia perfecta, & paulo minus crudus contra imperfecta: qui autem indolis melioris egoista est, obligationi suae non nisi ex incitatione proprii lucri respondet.

§. 167.

Cura, & dominatus sui.

Curam nostrimet gerere dicimur, si enitamur ad cognoscenda, & adhibenda subsidia, quibus nosmet, tanquam finem, perfectiores reddamus. *Corrigimus* nos ipsos removendo imperfectiones. Segnes ergo, atque oscitantes in negotiis nostris esse non debemus. Cum dicimus curas seponi oportere, hoc ita est accipiendum, quod non debeamus 1) statum praesentem ut acerbum repraesentare, 2) de eo, quod in potestate nostra non est, 3) item quod praevidere non possumus, angi, 4) propter nimium remota negligere praesentia, 5) fidu-



fiduciam in Deum seponere. Si studere perfectioni nostræ velimus, adhibendæ sunt actiones tam animæ, quam corporis, procurandusque in nosmet ipsos *dominatus*, seu moralis animæ habitus sibi met imperandi, & corpus regendi.

C A P U T III.

De officiis erga Animam.

§. 168.

Rationes eorundem determinantes.

Officia erga animam sunt illa, quorum operæ realitates in eadem proxime ponuntur, quæ si pernosse cupimus, animam ipsam recte cognoscamus necesse est, & pro viribus curam ejus gerere, ac illam emendare. Debemus ergo tam de materialibus, quam de formalibus ipsius perfectionibus solliciti esse. Primum fiet tantum, quantum debemus, cognoscendo, & adpetendo: alterum, hoc ipsum eo, quo oportet, modo exequendo.

§. 169.

Ut cura hæc ordinata sit, si regulæ perfectionum animæ, & corporis vel externorum bonorum in collisionem veniant, exceptio semper a posterioribus erit facienda, cum animæ perfectio sit finis ultimus, cui perfectio corporis subordinari debet. Debent præterea vires animæ tam opulentia cognitionum, quam claritate, adcuratione, & certitudine rectissima proportionem, quam momentum cuiuslibet exigit, in melius mutari. Quare comparate ad inferiores animæ facultates providendum,
ut,

ut non emendentur solum, sed etiam superiorum imperio subjiciantur, quod saltem mediate semper obtineri potest. Quantum ad providendi facultates, incuria & curiositas circa futura, quorum ignorantio tolli non potest, perinde vitanda sunt.

Ut in excolendis animæ facultatibus recta constitui mensura possit, in considerationem vocari debet non interna modo ejusdem constitutio, sed etiam ad unumquemque statum externum relatio. Potest sensus ad sui ipsius dominatum multum vigoris, & gustus statui felicitatis, atque animi tranquillitati multum leporis addere.

§. 170.

*Moderatio in judicando, scientia, sapientia,
& prudentia.*

Qui facultate judicandi recte volet uti, debet exacte nosse, qua de re ferri judicium possit aut liceat: unde necesse habet judicium interdum suspendere, seu neutram in partem definire. Intellectus, & ratio maxime excolitur ejusdem dilatatione, claritudine, & circa digna objecta occupatione. Huc etiam faciet, si illud, quod scimus, quantum fieri potest, scientifice, hoc est, cum ratione teneamus, & in *sapientiam*, atque *prudentiam* usu ipso vertamus, quæ in scopo, & mediis eundem adsequendi apte deligendis versantur. Huc insuper pertinet *animi præsentia*, sive habitus in casibus improvisis id, quod est optimum, deligendi. Prudentiæ opponitur *imprudentia*, cujus gradus superior *soliditas*, atque *stultitia* est, cujus mensura solet esse incertitudo, inutilitas, aut noxilitudo mediiorum, errores hos agnoscendi facilitas, aut difficultas,



cultas, gradus denique obligationis eosdem cognoscendi.

§. 171.

Scientia Voluptatis.

Ut quis vere contentus sit, has sectetur regulas: 1) Puras adpetat voluptates. 2) Entia mundi hujus convenienti æstimet ratione, ac etiam e molestissimis alimentum voluptati comparet. 3) Non se sinat delectatione quavis ultra, quam sapientia, & prudentia sinat, abripi. 4) Dolorem necessarium æquo ferat animo. 5) Voluptatem fugitivam recollectione, & prælibando producat. 6) Præsentem voluptatem rerum acerbarum cogitatione animet. 7) Aliena fortuna delectetur, uti & fortunæ bonis cumprimis moralibus.

Regularum harum observatio ponet nos ad statum *tranquillitatis animi*, sive deinde hoc nomine veniat status, ut quidam Mystici volunt, quem citra resignationem in Dei voluntatem mutare non adpetimus: sive status validioribus animi commotionibus destitutus.

§. 172.

Emendatio voluntatis.

Emendamus voluntatem 1) si intellectum perpolimus. 2) Si eundem axiomatis, seu practicæ ratiocinationis principiis imbuimus. 3) Si eum in deliberationibus nostris ad occurrentes eventus applicando sequimur, utque hoc ipsum fiat, voluntatem cum sensualitate ad harmoniam ponimus. 4) Si eandem per sensiles stimulos adversus oppositos stimulos conformamus. Ut secundum liberam de-

libe-

liberationem operari possimus, debemus 1) dignitatem imperii in nosmetipsos agnoscere. 2) Libertatem rationalem cum efreni licentia non confundere. 3) Sensim ad nosmet coercendos adsuescieri. 4) Servitutem omnem moralem declinare.

§. 173.

Ejusdem virtutes, & vitia.

Virtutes, & vitia, quæ cadere in voluntatem possunt, sequentia sunt. 1) *Moderatio*, seu mediocritas in adpetendo, & huic contraria *immoderantia* sive excessus. 2) *Abstinencia*, seu moderatio vitans cupiditates vehementiores. 3) *Temeritas* aut habitus immoderate adpetendi quod in malo boni speciem habet. 4) *Tolerantia*, vel mediocritas in averfando, quæ *animi magnitudo* dicitur, si malum futurum, idemque metuendum sit. Hinc omnia, quæ tolerantiam, & mali superandi spem augent, sicut & boni cum eodem connexi representationem, conferunt ad fortitudinem, seu animi magnitudinem. 5) *Patientia*, id est tolerantia cavens nimiam averfationem. 6) *Mollitudo*, excessus in averfando. 7) *Timiditas*, mollitia malum, quod in bono adparet, effeminate abhorrens. 8) *Indolentia* averfationis defectus, & *morale phlegma*, cum nihil adpetendo peccatur.

- 1) Inter incitamenta ad patientiam præcipua sine dubio illa sunt, quæ ex acquiescentia in Deo, respiratione in voluntatem ejusdem, & fiducia depromuntur. Ceterum animi, in quibus motiva hæc sublimiora nondum fatis virium, & vigoris habent, possunt iis moveri, quæ experientia propria sunt, e. g. quod dolor immoderatus



deratus malo mederi nequeat: quod illud interna inquires augeat: quod impediatur, quo minus inveniamus, & exequamur rationem nosmet ex adverso statu expediendi: quod impatientia dedecus, & contemptum accersat.

- 2) Debent ergo remedia patientiæ jam ante præparari, cum acquiescentia in Deo rectas divini regiminis, & humanæ beatitatis notiones supponat. Conversatio cum cultis, & sensus moralis perpoliti hominibus potest relate ad ultimum motivum utilis esse, cum eorum judicia, & sensus consentiens adfectiones nostras ita temperent, ut rationabilibus, atque benevolis hominibus probari possint.
- 3) Si coactus hic principio pure externus etiam esset, sensim tamen debilitaret passionem ipsam, cum corporis motiones impressione sua in animam reagant.

§. 174.

Abnegatio sui ipsius.

Sunt bona, quæ bona majora impediunt, & post se majus malum trahunt: sicut contra occurrunt mala majora mala impediunt, & bona majora procurantia. Malorum hujusmodi adpetitio, & bonorum talium averfatio dicitur *abnegatio*, speciatim autem *nostrorum ipsorum abnegatio*, si mala, & bona nos ipsos tangant.



CAPUT IV.

De officiis erga corpus.

§. 175.

Sanitatis, & vitæ conservatio.

Cura corporis complectitur omnia, quibus idem perficitur, seu ad motus animæ mutationibus consentaneos aptius efficitur. Huc igitur imprimis pertinet nostrimet *conservatio*, quæ tunc erit legitima, si non prodigi vitæ, nec avari simus: pericula ejusdem neque temere quæramus, neque timide refugiamus. Unde peccatum est *vitæ propriæ ademptio* (suicidium) sive deinde subtilis illa, quæ fit actione notabilem cum morte connexionem non habente; sive crudior altera, & directa. Deinde cura hæc complectitur etiam *valetudinem*, seu statum, in quo a natura non impedimur in exercendis operationibus, ad quas membra nostra idonea sunt, quæ hæc ipsa de causa non sunt *mutilanda*. Primum obtinetur *diæta* prudenter ordinata. Gradus superior valetudinis est *firmitas*, inferior *debilitas* corporis. Corpus tanto est ad functiones suas habilis, quanto est flexibilis, quod usu, & exercitatione ejusdem obtinetur.

- 1) Suimet occisio in nullo casu potest majori esse emolumento, quam vitæ etiam acerbissimæ conservatio. Si enim anima cum corpore interit, carnifex sui ipsius sese in nihilum redigit, atque ita ulteriorem sui perfectionem reddit impossibilem. Sin autem anima corpori superstes sit, mala physica vitæ hujus adparentia si non in præsentia, certe in futuro statu possunt in bona verti.

2) Cura



- 2) Cum Dei cultor adstrictum se agnoscat ad obedientiam erga eundem, Deus autem ipsa vitæ conservatione suam de ejusdem duratione voluntatem satis declaret, nequit citra scelus actione libera, atque voluntaria finiri.
- 3) Quare suimet occidendi consilium nequit pronasci, nisi in statu perplexarum repræsentationum, adeoque nonnisi in animo præjudiciis penitus occupato, & barbaro æstu, aut melancholia perturbato.
- 4) Optimum isthuc remedium est tempestivus in semetipsum dominatus, speciatim autem sensitivitate moderatio sæpe e nervorum debilitate proveniens, sæpe autem eandem procurans: patientia: ars sese oblectandi tam consortio societatis, quam moderata animi dissipatione, prudenti ac sapienti vitæ institutione, quæ nos a lapsibus poenitendis præservet; propriæ & alienæ felicitatis incremento, denique virtutum intellectus, & cordis amplificatione.

§. 176.

Sobrietas:

Pars diætæ *sobrietas* est, seu moderamen ciborum, cum primis autem fortium potionum. Immoderantia in ciborum usu vocatur *edacitas*: qui vero se voluptatis sensualis causa gustu abripi sinit, laborant *adpetentia cupediarum*. Conducit non raro ad conservationem alimentorum ad certum tempus abstinentia, quæ proprie *jejunium* dicitur, cui species subjecta est certorum ciborum recusatio. *Vestitus*, seu corporis integumenta, servare debent valetudini, nativo calori, corporis flexibilitati, & bono gustui.

§. 177.

§. 177.

Otium, & occupatio.

Occupamur, cum actionem quampiam ad finem certum, cujus nobis conscii sumus, suscipimus, qui vero occupatus non est, *otiat*. Consuetudo nostra momenti majoris negotia sunt nostrae occupationes: & cui otium plerumque molestum accidit, *negotiosus*, cui vero negotium inamoenum est, *otiosus* adpellatur. Occupatio intra diem peragenda *opus diurnum* audit. Si operario sedulo, peracto diurno penso, tempus etiamnum supersit, conatur se impendere negotiis tædium otii impediens. Obligamur autem speciatim tempora nostra partiri, seu definire, quantum cuius negotio tribuendum sit.

§. 178.

Officia ad instinctus, & necessitates nostras relata.

Instinctus cæci sunt adpetitiones sensiles ex valde sensualibus stimulis oriundi. Res, & actiones isthuc conducentes pertinent ad hominis indigentias, quarum *prima naturæ* dicuntur, sine quibus vita sustineri non potest. Actus instinctui huic satisfaciens *decori*, hoc est, officiis moderationis, honoris, & societatis consentanei sunt. Decorum defectus *cynismus*, ejus autem excessus *impudentia* (Pruderie) vocatur.

§. 179.

Castimonia.

Etiam in sensili sexus sequioris amore, & illecebris modus, & in seipsum imperium retinendum est.



est. Quare e subordinatione finis nostri sequitur, nos amori huic non debere succumbere, nisi erga unicam sexus diverſi personam, quacum intima ſocietate neſtimur. Persona hujusmodi *conjux*; Societas autem *conjugium* dicitur. Abſtinentia relate ad ſenſilem sexus alterius amorem adpellatur interna, & externa *caſtmonia*. Itaque obligamur 1) ad internam caſtmoniam, cum externa ejusdem confeſquutio ſit, 2) ad modeſtiam, & pudicitiam, ſeu ad ea vitanda, quæ ad hujusmodi libidinem incitant.

- 1) Perfectiſſima communio naturam conjugii abſolvens depoſcit, ut conjuges ambo ad mutuam oblectamentum tantum conferant, quantum pro animæ, & corporis viribus conferre poſſunt, quod quidem inter plures, quam duas per onas obtineri haud poteſt.
- 2) Argumenta hæc pro monogamia longe paucioribus ſunt expoſita difficultatibus, quam ea, quæ e proportione numeri amborum ſexuum ſolent depromi.
- 3) Si finis conjugii ſecundum hanc notionem definiatur, comprehendet ille expletionem adpeſtitionis, propagationem generis, & mutua auxilia, tanquam partes.

§. 180.

Status externus.

Obligamur etiam ad ſtatum noſtrum externum perficiendum, cum entia extra noſ poſita ad finis noſtri adeptionem adcommoſare conari debeamus. Animus in ſe ipſo conqueſcens, ac ſolum de ſe ipſo, aut rebus etiam divinis, nihil autem de externis cogitans, aberrat a vera moralitate, ad quam perti-

pertinent 1) vitæ necessitates, seu rerum earum, sine quibus vita subsistere non potest. 2) Commoditates, quarum usu vita sine molestiis, & 3) oblectamenta, quorum adjumento suaviter traduci possit. Animus in adpetendis commoditatibus, & averfandis vitæ incommodis moderatus, *virilis*; qui contra commoditates immoderate deperit, *voluptarius*: qui incommoda immodice refugit, *molliculus*; qui vitio utroque laborat, *effeminatus* adpellatur.

1) Res cuivis propriæ, ad necessitates ejusdem, commoditates, jucunditates, & vivendi decen-
tiam pertinentes, una cum jure easdem vindicandi omnem ejusdem proprietatem, & facultates absolyunt. Habitus jus hoc persequendi, si excessum expensarum vitet, *parsimonia*: excessus in corradendo, & expensis vitandis, *aviditas pecuniæ* dicitur. Primum avaritiæ genus vocare possumus *habendi cupiditatem*, alterum *sordidam tenacitatem*, summum ejusdem gradum *sordes* nominare, quæ cavet vel minimas beneficentiæ, vel decori expensas. Genus primum consistere potest non cum *dissipatione* modo, seu expensarum excessu, sed sæpe ejusdem consecrarium est. Defectus in comparando segnitas aut *incuria*, mediocritas *sufficiencia* vocatur: mediocritas autem inter tenacitatem, & dissipationem nomen peculiare non habet, nisi forte quis *frugalitatem* adpellare velit.

2) Avaritia sæpe abominabilis est, sæpe ridicula, semper contemptu digna. Primum obtinet, si avarum ab officiis justitiæ, & misericordiæ impediatur: alterum, si ad consequendum finem mediis utatur ineptis: tertium propter contemp-



ptum, quem proprii commodi studium secum fert.

§. 181.

L a b o r.

Complexus molestarum occupationum, quibus necessitati, & commoditati vitæ providetur, *labor* dicitur, ad quem obstringimur omnes (179), non tamen sine ulla intermissione. Habitus libenter laborandi est *laboriositas*, ubi 1) cavenda est inconsiderata *negotiositas*, 2) *mutabilitas* in delectu laborum suorum, 3) *irresolutio*, 4) labor unice panis causa susceptus, cum scilicet pro scopo solæ vitæ necessitates, & commoditates statuuntur.

- 1) Vitæ quotidianæ necessitates, & commoditates equidem sunt incitamenta frequentissima laboriositatis, optimeque ingenerant sedulitatis consuetudinem, quæ cessantibus etiam his incitamentis deinceps permanet. Verum dantur præterea alia gravia illicia ad hocce officium, cujus ope vires nostræ ad alios adjuvandos evolvuntur, valetudini consulitur, morum puritas conservatur, curæ dividuntur, & labori quietis voluptas succedit.
- 2) Labor igitur amplissimæ est utilitatis, sapientissimæque providentiæ ordinatio, quæ in proximis necessitatibus nostris physicis collocavit invitamenta ad ejusmodi officium, cujus emolumenta remotiora non quilibet perspicit, & quæ nos proprio nostro lucro aliis utiles fecit. Ad laboris oblectamentum illud quoque accedit, quod ipsas etiam fruendi voluptates augeat, cum nos ipsi proprio labore autores ea-

di, animique dotibus æqualitatem, sed tantum in sensis mutuis similitudinem.

- 4) Officia amicitiae cum debeant esse moraliter possibilis, necesse est, ut sint pietati, rationabili suimet amori, justitiae, prudentiae, atque generali erga omnes homines caritati conformata.

§. 185.

Pax.

Qui maleficiis se se adficere palam conantur, sunt externe sibi mutuo inimici: qui vero hoc non agunt, externe amici esse, inque externa pace vivere dicuntur. Qui aliquid officio erga alium repugnans agit, eundem interne vel externe lædit, prout actio interno officio, vel externo repugnat, quod fit, cum suum cuique non tribuitur. Habitus suum unicuique præstandi peculiaris *justitia*, neminem autem lædendi *innocentia* vocatur. Qui alienas actiones tanquam suas injurias facile interpretatur, homo *sensibilis*, qui istud non agit, *mansuetus*, qui sibi in vindicandis injuriis moderatur, *patiens*, qui eas condonat, *placabilis* audit. *Innocentia*, *mansuetudo*, *patientia*, *placabilitas* virtutem *lenitatis* simul efficiunt, qua præditus homo *conversationi idoneus* habetur.

- 1) *Probitas* elucet in justitia emolumenta propria, speciatim in servanda pactorum fide, promovendi.
- 2) *Indulgentia* est amor alienis erratis non facile minuendus. *Hilaritas* est habitus molestis affectionibus neutiquam cedendi, quæ nobis ratione nostri ipsorum, atque etiam aliorum perutilis



utilis est: reddit enim nos adfables, placidos, confortes, devinctos. Nec relate ad Deum sua caret utilitate: propter idearum enim confoederationem adtentos nos reddit ad bona in mundo hoc præsentia, illa etiam, quæ ipsis malis sunt adjuncta.

§. 186.

Vitia contraria.

Invidus dupliciter peccat alium scilicet odio persequendo, & bona ejusdem adpetendo. Ab invidia tamen secernenda est honesta illa æmulatio, qua perfectiones illius, quem pro exemplari nobis proposuimus, conamur acquirere. Ingrati vitium incurrit, non modo qui benefactorem suum externe lædit, sed etiam, qui illi, dum potest, non bene facit, aut eum interne offendit. Nec *immisericordia*, seu habitus egentibus non succurrendi consistere potest cum communi hominum charitate. Qui ex malitia nocet, homo *malignus*; qui absentem sermone proscindit, *calumniator* est. Comitatus, & benignitas adfectata esse non debet, seu ejusmodi expressa significationibus, ubi ars naturam male suppleat.

C A P U T II.

De Ingenuitate, Liberalitate, ac reliquis officiis.

§. 187.

Qui habitu gaudet sensa sua aliis pandendi, *candidus*, vel *ingenuus*; qui hoc ipsum immoderate facit, *blatero*, qui sapienter, *sincerus*, qui sensa

sa sua occultit, *retinens* nuncupatur. Qui non sapienter, & moderate loquitur, peccat vel in modo, vel in multitudine loquendi, estque in casu primo *indiscretus*, in secundo *garrulus*. Sermo logice erit *falsus*, si ipse loquens erret; *moraliter*, si sermo a mente ipsius dissentiat, qui dicitur *mendacium*, si quis eo lædatur.

§. 188.

Multum promoventur officia nostra, si teneamus artem cognoscendi moralem hominum statum, quam qui possidet, non facile impeditur præiudicio, quo minus rectum de unoquoque depromat iudicium, quocum *adulatio*, seu laus pure placendi causa simulata consistere haud potest. Si habitum aliis succurrendi vere possidemus, sumus ex vero *obsequiosi*. Hæc obsequendi promptitudo non debet pertinere unice ad communia humanitatis officia, quæ præstare sine peculiari aliquo incommodo possumus. Speciatim promovenda in aliis est virtus, & Dei cognitio.


- 1) Defectus adulationi contrarius est *morum inhumanitas*, seu absentia habitus aliis complacendi. Virtus adulationem inter, ac rusticitatem media est *conversandi urbanitas*.
- 2) Adulationis plures sunt gradus. Contemptu dignissimus adulator est, qui ex abjectissimis commodi proprii incitamenti maximis laudibus extollit hominem, cujus vitia probe perspecta habet. Non tamen debemus nomen adulatoris cuiquam continuo adpingere, qui nolit esse efrons aliorum vituperator, aut qui conversationis animandæ causa malit bonis alienis laudem, quam vitiis vituperationem accumulare.


§. 189.

Adstringimur etiam ad alios in necessitatibus, & commoditatibus vitæ sublevandos. Impendia, quæ isthuc conferimus, *elemosyna*, habitus autem hoc ipsum præstandi *liberalitas* consuevit dici. Officia alieno honori debita exigunt, ne alios nostri comparatione superbe contemnamus, quod est *arrogantia*, sed enitamur potius, ut eos morum suavitate devinciamus, quæ juncta urbanitati characterem socialem absolvunt, quem illi solemus adtribuere, de quo dici ex vero potest, quod *vivere sciat*.

- 1) Sapientiæ copulationem cum aliis placendi conatu sola morum suavitas potest procurare, quæ quantum a rusticitate, atque odiosa morositate, tantundem differt a molesta, & fastidiosa omnibus ex æquo placendi sollicitudine.
- 2) Facile autem degenerat hæc placendi cura, si non vere socialis, ac nobilis, sed unice in privato comodo sit fundata. Cum enim actiones sociales nos aliis acceptos reddant; gratia autem aliorum, & amor nobis utilia sint, fieri utique potest, ut actiones illæ etiam studio privatæ utilitatis exercentur. Cumque per laudes nos aliis acceptos faciamus, qui ob suum commodum aliis placere studet, ex occasione etiam adulator fit.
- 3) Ad characterem socialem etiam ingenuitas, natus candor, & innocentia referri possunt, quibus si accedant dotes exultæ, atque perpolitæ conditionis, perfectissimum effingent characterem socialem.







756913



7569

